



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

Ortega, Cristóbal de

Lugduni, 1664

Controversia V. De effectibus, siue perfectionibus humanitati Christi
vnionis titulo datis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

representatio interior, & per sensationem internam, & per intellectus cognitionem, & representationem eiusmodi obiecti, nihilominus communis, & tenenda conclusio est Christum Dominum, etiam qua hominem, siue secundam humanitatem internas tentationes passum minimè fuisse. Ita docent, vel supponunt quotquot de de facto fomitem peccati humanitati Christi negant fuisse paulo aliis. Lugo d. 22. sect. 1. n. 11. Bernal. disp. 41. sect. 1. num. 5. est expressa Leonis Pap. 1. extremis illis verbis. *Nec tentabatur illecebris*. Augustini negantis homini Christo *Spiritus resistentiam*, quæ in tentatione interna non esse nequit referuntur pro conclusione eadem à Lugo ubi proximè Gregor. & Damasc.

2. A ratione etiam ea omnia militant, quæ pro conclusione negante fomitem de facto humanitati Christi ab aliis, & à nobis afferbantur cert. 3. num. 2. eis quippè omnibus titulis tentationes internas humanitati Christi non adesse oportuit. Insuper, & vis motiua sensationis, & cognitionis internæ auferebatur, unde constat disparitas tentationis internæ ab externa, qua Lugo, & Bernal. quidem adeo, ut tentationem externam à dæmone negari facilius, quam paritati respondere iudicauerit: quia inquit, facta impossibili interna tentatione, externa, quæ propter illam est fit impossibilis: sicut in infantibus & amentibus apparet, qui non dicuntur à dæmone tentari cum ab eo in actus ex obiecto malos aguntur: quia peccare non possunt. Cæterum non ideo solum, quia peccare non possunt: sed quia id dæmoni notum est, nequique serio peccatum intendere, ut ad tentationem oportet, cum peccatum nouit impossibile: ast cum hominem Christum Deum esse, atque antecederet impeccabilem non cognosceret eum ad peccata enumerata inducere, externa illa tentatione, ac propterea, & internam media externa excitare, serio intendere, ac procurare potuit, quin in impossibile cognitum, ut impossibile conaretur: quare tenenda est Euangelij rigida, & propria significatione propositio: *Ductum scilicet fuisse Iesum in desertum ab spiritu, ut tentaretur à diabolo*. Externè cum ea significatione propria nihil indecorum Christo absurdum in theologia, seu scripturæ aduersum contineatur iuxta firmam statamque catholicis regulam interpretandi scripturam.

3. Lugo vero admissa tentatione Christi externa, negat consequentiam ad internam Christi tentationem: ita tamen, ut externam æque, atque Bernal. videatur alia ratione negare, neque difficultati satisfaciat. Negat quippè: quia tentatio illa interna Christo non fuerit animo hostili à dæmone excitata. Ast non alio animo externam, atque internam tentationem Christi tentationem excitabit, ergo neque externa illata à diabolo fuit animo hostili, quare neque fuit propriè tentatio contra textum, & antecedens quod admittit. Contra secundo quia externa fuit animo hostili & cum existimatione, & animo vincendi Christum, quod possibile diabolus putabat, ut nuper dicebam: ergo internæ representationi non defuit ad proprietatem tentationis animus hostilis diaboli eam excitantis, et si ad tentationis proprietatem requireretur. Tertio neque id ad propriam tentationem requiritur: à concupiscentia enim orta, vel conjuncta cum proprio amore tentamur ut Iacobus ait, quin malum nostrum animo hostili procuret appetitus, sed bonum delectabilem femina à viro amans, & viro femina quin alteruter hostili animo alteruter in peccatum inducat, sed oblectamenti causa quæ in aucta effugium illud præcludit: quod appetitus, eiusque motus subditi prorsus despotice rationi, & voluntati sint. Nam amans feminæ subditus non est, illamque tentat ad libidinem non animo hostili. Denique quod Deus neminem reter iuxta Iacobum, licet externas exciter tentationes, ex quibus oriuntur internæ, non ideo est, quia non animo hostili, sed quia amico solum victoriæ materiam eis subministrat, ut vincamus, atque ex eo animo simul confert auxilia, & vires ad victoriæ, non quod ad tentandum animus hostilis necessarius sit, atque ex odio velle nobis ruinam spiritualem peccati, sed satis est ad illud nos hortari atque incitare etiam ex animo nostri temporis commodi.

4. Dico secundo in humanitate Christi internæ tentationes esse non potuerunt. Est Doctorem, qui peccati fomitem in humanitate Christi nobiscum iudicantur impossibilem: eisdemque rationibus cum ea conclusione. Probat: quia et si ab externis tentationibus, internæ etiam representationes appetitui, & voluntati facta fuerint: at vis earum motiua eis omnibus enumerata illi, ac præcipuè Deitate impedita fuit ex parte actus primi, ac prorsus eneruata, atque sublata. Sed obicis contra utramque conclusionem de possibili ex Lugo. Non repugnat humanitati Christi actus materialiter solum malis obiecto: ergo nec fomes peccati, nec tentatio interna nec motus appetitus deordinatus malusque materialiter solum repugnabit. Antecedens probat, quia non repugnat humanitati vnix in ameniam incidere, atque sic anasthi puerum occidere fratrem putas hostem respiciat. Antecedens eiusque probatio sub lite adhuc Theologorum est de qua partim d. antecedenti, partim controversia sequenti. Quod autem ad præsentariet ex permisso negatur consequentia: quia peccatum materiale tantum nec peccatum est in se: quare pugnam cum sanctitate Deitatis nullo gradu habet de se, neque è suo principio neque est peccati inductum: ar vero tentatio interna fomes peccati, eiusque inordinati motus, licet peccatum non sint, ast sunt inductiua de se peccati, eiusque principia, & quæ proinde cum sanctitate Deitatis omnino incommensurabilia, etiam remotissimo, antecederet pugnant, omnia repugnant in humanitate, quam sui vnione sanctificat, ob quam non solum *Innocens*, *impollutus* homo Christus dicitur à Paulo, verum, & *segregatus à peccatoribus & excelsior cælis factus*. id est innocentia, & sanctitatis distantiore excelsiorisque à peccatoribus, siue eorum peccata quam sit cælum à terra, hoc est beati cælestes, ab hominibus peccatoribus terræ: ast Beatorum innocentia ad peccatis distat, ut cum eorum remotis principis nimium internis tentationibus fomitem, eiusque motibus repugnet per omnes: multo igitur certius cum eis pugnet sanctitas & innocentia excelsior, & à peccato distans: quæ in humanitate Christi per Deitatem est.

CONTROVERSIA V.

De effectibus, siue perfectionibus humanitatis Christi vnionis titulo datis.



Vm è sanctitate, & dignitate humanitatis Christi vi vnionis formaliter communicata à Deitate operum Christi meritoria infinita dignitas proximè proueniat, de merito Christi controversia de effectibus intrinsicis vnionis videbatur disputandum. Sed quoniam difficultates, quæ circa Christi meritum occurrunt integram controversiam explebunt, nec effectus communicatos humanitati ipsi, sed ipsius operibus dignitas meritoria contineat, ac tandem perfectiones & effectus titulo vnionis intellectui, & voluntati Christi communicatos, atque harum potentiarum actus, qui in Christo fuere, merita Christi, vel supponant, vel includant, controversiæ de merito, hanc effectibus, & perfectionibus humanitati Christi cum ad intellectum, tum ad voluntatem atque ad vtriusque actus spectantibus præmittere decreuimus.



DISPUTATIO I.

De scientia creata humanitatis Christi.

DE increata Christi scientia nihil hic disputandum occurrit, præterea, quæ controuersia de scientia Dei dicta à nobis sunt, cum ea humanitas Christi, nec intelligat, nec possit, ut ostendimus controu. 4. d. 3. q. 3. creata uero scientia Christi potest esse beata, per se infusa, infusa per accidens, acquisita, scientia fidei; Ac demum an scientia hæc Christi secum patiatur ignorantiam, uel errorem? disputandum erit.



QVÆSTIO I.

De scientia beata humanitatis Christi Domini.

LURA hic sub præfixo titulo, quam oporteat uulgo disputantur: quia communia Christo cum Beatis eorum pleraque, & quæ ad uisionem, & Beatitudinem proprie spectant eiusmodi sunt. An Christus per speciem ab obiecto, & à lumine diuersam uideat Deum? An ea uisione uiderit creata in uerbo formaliter? An casualiter ratione decentiæ status illius felicissimi? An uisione Dei formaliter sanctificetur, reddaturque consequenter; an etiam antecederet impeccabilis? quibus similibusque aliis omissis, quæ peculiaria scientiæ beatæ Christi Domini sunt solum examinabimus.

CERTAMEN I.

Visio beata Christi anima à conceptionis initio, ut non erroneè, ac hereticè, non sine temeritate negabitur.

CERTA adeo apud Theologos conclusio est, ut à Recentibus supponatur potius, quam disputetur: ab antiquis uero constanter asseratur in 3. d. 14. Richard. a. 1. q. 1. Durand. q. 1. art. 1. Argent. a. 1. Palacios. d. 1. S. Tho. interpretet cum ipso. q. 10. a. 4. q. 15. a. 10. q. 34. a. 4. supponunt, uel asserunt cursum. S. Bonau. Scotus, & Gabriel. ex Recentioribus Canus. 12. de locis c. 14. Salmeron. t. 14. d. 4. in epist. ad Ephes. Valent. 3. p. d. 1. q. 10. pun. 1. Soar. d. 25. lect. 1. Vasquez cum assecclis multis in locis. Ragusa. d. 85. Granad. tract. 8. d. 2. lect. 1. Lugod. 19. num. 2. Vvadingo d. 6. dub. 2. Hurtado uerque noster, Bernal. & reliqui omnes. Primus hac de re dubitauit Erasmus apud Canum, qui conclusionem nostram certam Theologica certitudine censuit. Soar. uero oppositam, errorem hæresi proximum dixit. Nos autem temerariam solum iudicamus: nullo enim scripturæ testimonio communi Patrum sensu accepto conclusio nostra, uel formaliter, uel illatiuè continetur, neque conspiratio à Patribus expressè asseritur, ut bene Vvadingo. Primus scripturæ locus pro ea inductus ex 1. Ioan. 1. est: *Deum nemo uidit unquam unigenitus, qui est in sinu Patris ipse narrauit, quia nimirum solus uidit.* Sed Cyril. Chrysost. & alij de unigenito, qua Deus est, ac æternus filius intelligunt. Dices intentum Ioannis esse Præferre Christi testimonium testimonij aliorum, qui Deum, de quo loquebantur non uiderant, sicut ille. Ergo, quia Christus Deum, de quo, ut homo, loquebatur, qua talis uiderat. Admisso antecederet

dentem nego consequentiam. Satis enim prælationis est humanitatem Christi de Deo loquentem ipsi uisionem esse, qui specialiori titulo curare iure uniois debebat, ne mentiretur, aliter uè quam ipse de se nouerat, de ipso loqueretur. Secundus locus. *Nemo ascendit.* (Spiritualiter per Dei uisionem) *In celum, nisi, qui descendit de celo, filius hominis, qui est in celo.* Sed scire tamen aueo, quam certa illa expositio sit de ascensione spirituali per Dei uisionem, & ea nihilominus admittit de Christo, qua Deus est, (qua talis enim descendit de celo, non qua homo) satis aptè intelligitur: ipse enim per idiomatum communicationem filius hominis rectè dicitur. Tertius locus. *in quo sunt thesauri omnes sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Sed locus est aptè de scientia increata; qua humanitas non intellexit, ut uidimus, Subditur enim *in ipso inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter,* id est diuinitas cum suis perfectionibus omnibus quartus locus Ioan. 1. *uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & ueritatis.* id est sanctitatis, & scientiæ. Verum illud plenum cum eo concordat, quod in eadem oratione caro factum esse dicitur, quod uerbum fuit, non humanitas Christi, seu Christus, qua homo.

2. Plura pro conclusione eadem ex Græcis Patribus extra rem inducuntur: cum ij uisum Deum à Christo secundum Deitatem, & scientia increata explicent tandem. Perperam item Græci alij adducuntur cum Damasceno serm. de transfiguratione asserentes ex Deitate uisam gloriam tunc illam redundasse. Loquuntur enim de gloria corporis, quæ nunc apparuit, non de gloria animæ, licet uisio Dei sit, quæ tunc non apparuit; nec hæc de ea loquerentur conclusionem docerent: cum trigenario iam Christo contigisset, non à conceptionis initio. Clarius loquuntur Latini, sed non ita, ut explicationes aduersantium, si essent, plerumque, non paterentur. Aug. 4. de consensu Euangelistar. c. vlt. fing. dicens mortale in hominem non posse in hac uita uidere Deum. *qua maxime proprietate distat à cæteris homo, cuius susceptione uerbum caro factum est.* Sed differentia hæc, de potentia, & titulo est, non de actu, qui posito uniois titulo negatur humanitati Christi, qualibus qualibus congruentis uisus ad resurrectionem dici posset, contra quas non omnino euidenter conuinceretur. Richard. de S. Viatore. 2. de Emanuele c. 22. *quod nos expectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione.* Sed explicari posset de dono Deitatis per unioem, quod nobis per uisionem donandum expectamus. Euseb. Cæsar. 10. demonstrat. Euang. c. vlt. sic è Christi persona ait: *cum adhuc intra celum gestantis me in uero latere, et tamen Deum meum uidebam.* Christi autem quæ Deus est, non est Deus; sed ipse Christus est Deus: ergo Christum, ait ut hominem uidisse Deum. Dicere possent: licet loquatur, ut homo, tamen cum eadem Dei, & hominis persona in Christo sit loqui posse de uisione Dei, quam habet, ut Deus. Fulgentius. q. 3. ad Ferrandum *uisionem fidei prorsus alienum est dicere animam Christi non plenam Deitatis suæ habere notitiam.* infra. *Ad eius animam pertinet illa prærogatiua: in qua sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, inferius. Possumus dicere animam Christi plenam habere notitiam Deitatis, & tantam, quantum ipsa Deitas sui, sed non sic Deitas.* Ad primum tamen, & postremum dicerent fortè loqui de Christo post resurrectionem, atque in celo, in quo tunc erat, quando ea scribebantur. Secundo plenam Deitatis notitiam non dicere Dei uisionem, sed cognitionem omnium perfectionum Dei, quam per infusam scientiam, & reuelationem posset anima Christi habere: tantum enim, & quantum magnitudinem cognitionis obiectiuam, siue ex parte obiecti, designat, non qualitatem, quæ potius explicatur ad uerbo *scius*, quod negatur animæ Christi: cum dicat Paulus de statu Beato tum *cognoscant sicut, & cognitus sum à Deo nimirum uisione clara.* Ad secundum constat quid de eo loco Pauli Patres plures ceofeant: nempe sermonem esse de increata scientia, & sapientia Dei, quæ in anima Christi realiter physice per unioem erat; non ita, ut eis anima Christi formaliter intelligeret. Tandem adduci possent plura Patrum testimonia, quæ apud Vasq. d. 47. c. 1. num. 4. & 5.

negant Christum qua hominem in scientia profecisse in quibus est Damascen. 3. de fide c. 22. sic effatus: *Propterea eos, qui dicunt Christum verum incrementum in sapientia accepisse, consequenter negare vniionem factam esse à primo illo carnis ortu. Nam si tunc facta est, quid tandem asserti potest, quin omnibus profus sapientie, gratieque operibus affluerit?* Sed respondere possit aliquis: profectum scientie, de quo hic Patres, esse circa res, quarum notitiam denuo in ipso homines recognoscerent, non autem circa Deum clare visum. Secundo: esse de profectu scientie quoad viuere, & ætate crescebat. Visionem autem Dei in hac vita Christo homini non contigisse: quare neque eum scientie profectum fuisse in vita hac mortali, in qua factus à Patribus negatur.

3 Verum enim vero, licet solutionibus hisce Patrum testimonia eludi, utcumque possint, ne clarè eorum auctoritate euincatur conclusio, sincero tamen eorum sensu intellecta eam euincunt, à quo discedere temerarium est. Maxime cum patrum negantium profectum scientie, & sapientie Christo, licet de profectu scientie circa obiecta alia, atque hac in vita loquantur, tamen eorum ratio, eiusque principium generaliter de profectu scientie cuiusuis, ac circa obiectum quoduis, in quocumque statu probet, ut postremis verbis Damasceni satis claret: sic igitur eius, & reliquorum Patrum rationem pro conclusione theologica edissero. Visio beata iure vniionis hypostaticæ debetur humanitati Christi; atque ex alia parte ad nostram redemptionem per passionem, & mortem eiusmodi visio non oberat. Ergo data fuit humanitati à primo instanti suæ vniionis ad Verbum: quod ipsum instans primum etiam fuit conceptionis humanitatis. Totus discursus datus nobis est à Damasceno proxime. Sed rursus probatur per partes, & primo antecedentis pars prima quia, (ut bene Hilar. orat. 4. contra Arrian. & lib. de salutari Christi aduentu. Augulf. in id psal. 65. *Beatus, quem elegisti, assumpsisti.* & q. 65. ex octoginta tribus, & 4. de consensu Euangelistar. c. vlt. sine, & S. Th. supra ex illo Ioan. 1. *Plenum gratie, & veritatis*) Christo, qua homini, ratione vniionis Patris vnigenito, debentur gratie, & dona non ad mensuram, sed cum omni plenitudine, & consummata: atque hæc consummantur per Dei visionem: ergo cum Dei visione data sunt humanitati Christi à primo suæ conceptionis instanti. Probat per secundo: quia doni perfectio dicitur eius notitiam in recipiente, ut inde dicatur *omne donum perfectum à Patre luminum descendere*: quare nisi à primo conceptionis instanti, quo per vniionem data humanitati Deitas est perfecte ab humanitate Deitas cognosceretur, & Deus imperfectè donasset, atque humanitas imperfectè, si imperfectum donum, non sine veriusque indecentia, recepisset: vterque argumentatur Fulgentius citatus. Probat per tertio: quia cum Christus ab initio conceptionis Dei, & hominum Mediator esset, oportuit, ut utroque perfectè cognosceret, gloriamque, quam nobis semper merebatur, experiretur. Probat per quarto: quia gloria corporis ab animæ gloria naturaliter derivatur: ergo hæc adfuit Christo, qua homini in transfiguratione titulo quidem filiationis naturalis Dei, ut vox paterna tunc declarabat. *Hic est filius meus dilectus: eam autem naturalem filiationem habuit humanitas iure vniionis ad filium, quæ ipsi à conceptionis initio adfuit*: ergo ex tunc adfuit gloria animæ, quæ sine visione non est, humanitati Christi. Secunda antecedentis pars probatur: quia solius glorie corporis suspensione locus tormentis, & passioni, quibus redimendi eramus satis, superque dabatur. Consequentia vero discursus nostri legitima est. Etenim quæcumque titulo vniionis debebantur humanitati (debeantur vero excellentia, & perfecta omnia) nec redemptioni per passionem, & tormenta officiebant, data statim humanitati fuisse Patrum, & Theologorum axioma est. Nec refert, quod Ioan. vlt. dicatur. *Non oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam?* est enim de gloria corporis sermo, ut ibi Patres, & de transfiguratione agentes constanter docent. Quo autem pacto cum Dei visione, summoque inde humanitatis gaudio, dolori, timori, atque tristitia

humanitatis eiusdem locus fuerit infirmitatis, & explicabitur.

CERTAMEN II.

Obiecta, quæ Christi humanitas in verbo viderit taxantur.

1 **S**upponitur Beatos obiecta plura in verbo videre sensu à nobis explicato controu. de Beatitudine: qui propterea nunc examinandus non est, sed obiectorum numerus taxandus, sunt autem obiecta, de quibus nunc quæstio esse potest creata omnia, siue possibilis, siue futura. Dico ergo primo vidit in verbo humanitatis Christi omnia possibilis, ita Herize, 1. p. d. 36. c. 4. num. 41. ac vulgo Recentiores Soar. d. 26. sect. 2. supponunt, quæ ex antiquis Gotfred. quodlib. 9. q. 3. Basol. 44. prologi. a. 3. Durand. in 3. d. 4. q. 2. & in 4. d. 49. q. 3. & alij, qui Beatos in verbo possibilis omnia videre defendunt. Probat: quia omnium possibilium visio in verbo est creato intellectui, & possibilis, & perfectio: ergo humano Christi intellectui de facto fuit concessa: consequenter à principio generali, quod de facto humanitati Christi datum asserti debeat, quidquid possibilis perfectionis est, nec redemptionis officio aduersatur, est certa. Antecedens probatur: quia, etsi Deum, & possibilis omnia intellectus creatus videret, vnica etiam visione, (quod nec admittimus, neque est ad præsentem conclusionem necessarium) adhuc Deum non comprehenderet: quia non æquaret Dei cognoscibilitatem, iuxta dicta controu. de attributis negatiuis d. de incomprehensibilitate Dei: atque ea solum repugnantia assignatur ab aduersariis: ergo non repugnat intellectum creatum videre in verbo omnia possibilis. Dices primo S. Th. q. 10. art. 2. negare conclusionem ob hanc repugnantiam. Sed ne locus est ipso à nobis datus controu. citata aduersetur intelligendus est de cognitione omnium possibilium in verbo, siue in omnipotentia, tanquam in medio, ad quam omnipotentia quantum cognoscibilis est, cognitio, penetratio, quare, & comprehensio requiritur. Dices secundo: ea visio infinitorum possibilium esset: ergo infinita: quod creatæ repugnat cognitioni in primis repugnantia hæc constans non est. Deinde sit constans: non inferetur ex infinitate obiecti infinitas cognitionis: ut patet in Dei visione. Dices tertio: Arnaldum de villa noua Medicum à Tarraconensibus inquisitoribus damnatum fuisse, quod doceret Christum scire omnia, quæ Deus, ut refertur directorio inquisitor. 1. p. q. 11. hoc autem, vel nostra conclusio est, vel inferetur ex illa. Sed tamen videtur Soar. Herize. vbi proxime, Arnaldus ille cognitionem suppositorum esse non naturarum vniuersarum doctrinarum, quæ inde assererebat Christum sola cognitione suppositorum diuini, quod vnum in ipso erat, cognoscere: quare, & æquè perfectè omnia cognoscere, qua hominem, atque qua Deum in quibus, & Monothelismus, & doctrina erronea de æquè perfecta cognitione hominis Christi, atque esset cognitio Dei continebatur: quorum neutrum doctrinæ nostræ est: quare eius damnatio nihil nostre conclusionis refert.

2 Dico secundo, Vidit Christum in verbo existentia omnia in quavis temporis differentia, præterita, presentia, futura, positiua, negatiua, libera, necessaria, dummodo eam scientiam non supponant. Est hæc omnium Theologorum conclusio cum S. Th. proxime citato Bernalis. d. 34. sect. 1. §. 2. n. 15. Monachi. d. 2. sect. 1. c. 12. licet hi requirunt, vti à Christo videantur existentia, quod Christi visionem antecedit. quæ limitatio, vel superflua est, vel falsa, si. de obiecta eorum antecedit ad sui visionem loquuntur superflua est, cum obiectum quoduis sui visionem creatam obiectiue necessario precedat de antecedentia vero alia præter obiectum est falsa, ut ex rationibus conclusionis apparet. Probat per primo:

primo : quia eorum omnium cognitio non repugnat , Christumque decet. Secundo : quia existentium omnium , quæ ad quemque Beatum spectant , visio in verbo communis est prærogativa Beatorum : atqui Christus , & Beatus in anima semper fuit , atque præfata omnia existentia ad ipsum non vno tantum titulo , spectabant : ergo ea omnia vidit in verbo. Minor probatur. Primo : quia prædestinatorum , siue electorum , propter quos omnia condita sunt , homo Christus est caput. Secundo , quia omnium iudex. Tertio quia rerum omnium Dominus , Rex , & gubernator , vt controu. 6. ostendemus. Quod autem pacto cum hac Christi scientia de actibus liberis futuris eorum libertas cum in Christo , tum in aliis consistat , constat satis ex dictis controu. de scientia Dei : quia nimirum cognitio hæc supponit obiecta , non facit , estque ipsius natura posterior : quare nequit indifferentiam ad illos ex parte actus primi , siue antecederet , impedire , aut ipsorum libertatem abolere.

3. Oppones illud Marci. 13. & Math. 24. de die illa , iudicij aut horam nemo scit , neque Angeli in caelo , neque filius hominis. quod cum ab Arrianis contra verbi præscientiam , & diuinitatem obiceretur Athanas. serm. 4. contra ipsos Cyril. Alex. 9. Theol. toto. c. 4. ac reliqui Græci Patres respondent intelligendum esse de Christo , qua homine : ergo ex hoc loco , & Græcorum Patrum interpretatione humanitas Christi futurum hoc ignorauit. Respondet Valg. errasse in eo Patres Græcos , sensumque loci esse ignorasse qua hominem Diem iudicij quatenus aliis non reuelauit , eosque scire , fecit : quemadmodum tunc scire , & cognoscere alias dicitur , quando alios scire , & cognoscere facit , aut velle gen. 22. Nunc cognoui quod timeas Deum. quia tunc , & ipsi , & aliis timorem Abrahami reuelauit , atque in hoc cognoui quod diligas &c. vt bene interpretatur Aug. 1. de genesi contra Manich. c. 22. ac 1. de Trinit. c. 12. & sæpius ad hæc loca consentiunt Solutioni Hilar. 9. de Trinit. Ambros. 5. de fide. c. 7. Nec obstat quod solus Pater dicatur illum Diem scire , quem tamen discipulis non reuelabat , & enim reuelabat homini Christo. Secundo Hilar. can. 29. in Math. & fere 9. de Trinit. Laudatur ab Alphonso de Castro ignorari à se Diem iudicij dixisse Christum , qua hominem , atque tenentem ignorari dicuntur à viris prudentibus , quæ in occulto esse , nec dici rogantibus oportet. Dici autem à Christo Deum solum scire , vt discipulorum rogantium studia quiescerent. Veritas solutione , & interpretatione satis probabiliter germanus loci sensus , & solutio datur , quare vtraque laudanda nobis , probandaque est. Illud autem in nostro Valquez improbandum , quod errasse tot Patres Græcos in admittenda rigurosa ignorantia diei iudicij in homine Christo adeo aperit admittat. Cum altero ex dictis sensu , et si alius ipsis non occurrat , benignè eos posset interpretari , & tamen alius occurrat Græcis Patribus , quem ipse magis probat. Neque enim tot docti Patres dubitare , nedum negare , absolutam strictam diei iudicij præscientiam poterant , strictamque eius ignorantiam homini Christo adscribere ex eo loco , in cuius contextu tot signa diei eiusdem , quasi rei sibi notissimæ discipulis prænunciabatur.

4. Tertia demum solutio , atque eius loci genuina interpretatio Vasquio ipsi d. 51. c. 3. num. 14. verso ceterum atque Vvadingo d. 6. dub. 3. §. 5. ac demum nobis etiam probator est. Christum negasse humanitatem suam de suo , ac secluso vnionis titulo , propriisque intellectus sui viribus diem iudicij scire , sicut , & de Angelis negauit , quibus nulla naturæ suæ debita , & proportionata notitia absit , vt discipulorum , qui se , & Angelis , & homine Christo inferiores viribus recognoscebant , de eius diei notitia inania studia daret. Est aperta Græcorum Patrum interpretatio. A habas. vbi proxime Palam , inquit , facit se , vt hominem ignorare : quia hominum est ignorare laborare , sicut Paulus dicitur nescire se an in corpore &c. quia id è suis viribus nescibat , licet ex reuelatione cognosceret. Cyril. etiam cap. citato ait : Christum hominem scire , qua erat Deus , id est Deo suppositiue coniunctus , sicut sciebat vbi Lazarus positus erat , cuius mortem , vt homo prædixerat , & tamen è viribus solius natu-

ræ humanæ ignorantiam loci fatebatur vbi positus erat , quia vnionis titulo nouerat : sic ergo , & diem iudicij à sua humanitate , qua nuda , aiebat ignorari. In eum sensum notitiam hanc diei iudicij in humanitate super humanam vocauit Damasc. 3. de fide c. 15. Naz. orat. 36. Non scit , vt homo , iudicij diem , si quis partem aspectabilem , humanitatem , ab ea , que sola mente potest percipi , diuinitate , separauerit. nudam eam vnione considerando. Ac num. 63. exiguum concedi Christo ait , si Christo , qua Deus solum est , non autem etiam , qua homini notitia diei iudicij concedatur. Consentit vtrouque Nizetas : atque ex primo loco Damasc. 3. de fide c. 21. sic habet : si secundum diuini loquum Gregorium , separaueris , quod videtur ab eo , quod intelligitur , videbitur ignorans caro ; at propter hyposthaseos identitatem , & inseparabilem vnionem locupletata est Domini animæ futurorum cognitione , vt , & reliquis diuinis signis , in eadem interpretationem iuit M. Gregor. 8. epistolæ. epist. 42. & Caetan. ad Math. 24.

5. Scio Originem hom. 30. in Math. dupliciter ea loca interpretari , vt à Christi humanitate diei iudicij ignorantia stricta indecentiam propulset. Primo : vt iuxta vulgatam Ticonij regulam sibi , vt capiti membrorum Ecclesiæ ignorantiam eiusmodi tribuerit. Id quod approbant Gregor. M. proxime , & Eulogius Episcop. Alexandrin. secundo , vt loquatur de scientia experimentalis Christus : quemadmodum 2. cor. 5. de eo dicitur : cum , qui nesciuit , siue iuxta vulgatam , non nouit , peccatum , pro nobis peccatum fecit. Quod etiam probant Bernard. tract. de gradib. humilit. ad citatum Marci locum. Epiphani. Anchorato fol. 8. & longe à med. Chrysost. hom. de Trinit. post med. tom. 3. ceterum futurorum aliquorum scientiam Christo , qua homini negare , nec hæreticum , neque erroneum est : cum neque in scriptura expressum , neque ab Ecclesia definitum , neque concordia Patrum sententia statutum. Licet enim Themistius quidam à Sophronio damnetur , vt hæreticus in sua epist. apud Concilium 6. generale act. 11. quia diceret : quod Christus scierit diem iudicij secundum , quod erat Deus sempiternus , sed ignorauerit secundum , quod veraciter erat homo factus. non vtgeritille enim Acephalus Eutychanus erat , qui in incarnatione Deitatem conuersam in humanitatem delirabat , ac proinde Deo etiam , qui factus homo fuit ignorantiam illam appingebat. Sed tamen diei iudicij scientiam Christo , qua homini negare temerarium valde foret. Aliorum vero futurorum aliquorum non item : imo multo est probabilius , vti ex dicendis à certamine 3. satis constabit.

6. Inutili hic quæstione , & vexantur ipsi , & Theologicam vexat. Recentiores. An scilicet actus liberi , & quæ ab ipsis pendunt visione beata , quæ ad ipsos conducatur antecederet (siue proximè proponendo miseriam pauperis ad actum misericordiae , vel remotè mouendo ad Dei amorem , à quo ad misericordiam , vel alium quempiam virtutis actum voluntas impellatur) possit videri ? implicare autem aucto. Cum enim scientiam quamvis creatam obiecta naturæ priori antecedant , si eos actus scientia beata natura etiam antecederat dabitur inter eos , & visionem beatam mutua tali sapientia , atque eorum quoduis erit prius natura , quam sit. Quare ex ipsis terminis repugnat eos actus liberos visione beata antecedenti videri. Repugnat secundo quia visio beata essentialiter est vera ergo si actus liberos , quos antecedit representat ex parte antecedentis ad ipsos est aliquid cum ipsorum negatione impossibile : ergo non erunt liberi , quod repugnat contradictorie cum asserta eorum libertate. Nec refert visionem , provi representat miseriam pauperis , vel Dei bonitatem , quo solum pacto actum misericordiae antecedit , non representat illum , cum eovè ratione essentialis lux veritatis connecti , sed quatenus ipsum representat , quo pacto non est illo naturæ prior , sed posterior , vt scientia , ac visio quænis suo obiecto posterior est : quare actus misericordiae libertati non obesse. Etenim cum eadem in fecili entitate visionis , & miseria , & actus misericordiae essentialiter verè represententur , implicat representationem miserie , quæ antecedit , esse sine actu misericordiae , cuius

cuius naquit non essentialiter vera representatio esse. Confirmo: quia impedimenta libertatis non ponuntur secundum formalitates præcisas, sed secundum impedimentorum realitates, secundum quas solum possunt physica reali prioritate naturæ actibus præcedere. Neque instari potest argumentum in scientia visionis Dei circa miseriam, & actum misericordie ea quippe obiecta non facit, sed suo ordine factum, ac positum representat, quia è suo primario obiecto, & principio, quod Deus est, infinita representatio euadit, quæ solum obiectorum quocumque gradu, & statu positionem desiderat. Atque hæc sanè non solum de actibus liberis, sed de iis etiam, quæ ab ipsis pendent, v.g. gratia, & gloria, quæ de facto ab actibus Christi meritoriis pendent intelligenda sunt. Nam posita visione beata de illis non possunt non esse, ne visio falsificetur: quare, vel esse possunt gratia, & gloria sine actibus meritoriis Christi, contra suppositionem: vel actus hi ei posita non possunt non esse: vel gratia, & gloria possunt non esse, ac proinde visio de eis falsificari poterit. Horum autem quoduis repugnat.

7 Sed instabis posita scientia conditionata, & prædestinatione, siue collatione auxilij efficacis ex illa, quæ dubio procul consensum nostrum antecedit, non tollitur consensus absoluti libertas: quia quatenus anteceditur connexa cum illo non sunt, sed quatenus subsequuntur obiectiua naturæ posterioritate ad illum: ergo cum beata visio quatenus antecedit actum misericordie, ac representat miseriam non connectatur cum illo, sed, quatenus illum representat, atque obiectiua posterioritate subsequitur, cum illo connectatur ipsius libertatem non lædet. Fateor instantiam hanc magnam habere vim contra Recentiores Complutenfes, qui primam solutionis aduersariorum impugnationem nobis dederunt: instarique rursus posse eisdem ex præfinitione actuum liberorum, quam sine libertatis eorum præiudicio admitti posse eisdem defendunt. Nos autem instantiæ eiusmodi minimè tangant, qui actuum liberorum præfinitiones nusquam admittimus: ostendimusque controuersis de scientia, & voluntate Dei, atque hic controu. 1. scientiam conditionatam, & auxilium, imò, & prædestinationem non connecti secundum se cum futuritione absoluta consensus in se, de auxilio patet in nostra sententia. De scientia item conditionata constat. Neque enim eam habet cum illa immediatam tanquam cum obiecto, quod non representat: neque mediatam ratione futuritionis conditionatæ, quam representat: cum futurum conditionatum physice non connectatur cum futuro absoluto, sed logicè, & metaphysicè, seu diuersiue, ac per rationem: quare ratione huius connexionis sui obiecti conditionati cum futuro absoluto, nequit scientia conditionatæ physice, & intrinsecè cum futuro absoluto connecti, sed logicè solum, & extrinsecè, quod connexionis genus non obest consensus absoluti libertati, ve patet in ipsa futuritione conditionata, & nuda auxilij entitate: licet, sublata futuritione absoluta consensus futuritio conditionata auferretur, sicut, & conditionata scientia, quæ nihil præter futuritionem illam conditionatam scientiæ Dei secundum intrinsecum adit.

CERTAMEN III.

*Vidit Christus in verbo infinita existentia suæ
cathegorematicè, non cathegorimaticè:
virtute tamen finita.*

Vidisse Christum in verbo infinitum existentium siue infinita existentia sincathegorematicè, Probatur facile quia cognouit viditque omnes hominum, & Angelorum cogitationes per æternitatem futuras: atqui

hæ sunt infinitè sincathegorematicè: ergo vidit infinita existentia absolute pro variis durationibus, sincathegorematicè quidem infinita: quia nunquam infinita multitudinem existent simul cum plures, & plures futuræ deinceps sint quacumque duratione assignata. Non vidit autem infinita cathegorematicè probatur: quia fortasse rerum creaturarum multitudinem infinitam simpliciter repugnat, atque, vt minimum nunquam de facto erit: quare nec à Christo in verbo, imò neque à Deo, poterit videri. Sed dices videt infinitas sincathegorematicè cogitationes per æternitatem futuras: ergo cognoscit infinitas cogitationes cathegorematicè. Probatur consequentiæ infinitas illas cogitationes simul, & in hoc instanti cognoscit. Ergo simul, & in hoc instanti sunt obiecta huius cognitionis infinitæ illæ cogitationes: ergo sunt obiecta infinita simul: ergo cathegorematicè infinita. Et æquiuocatio in probatione malè illius consequentiæ. Cognoscit quidem simul infinitas cogitationes simul: ex parte cognitionis, ac proinde, & illarum propter obiecta, & cogita denominantur extrinsecè, non autem multatæ cogitationum ipsarum secundum se, quod requiritur, vt res ipsæ obiectæ dicantur esse cathegorematicè infinitæ, siquidem infinitæ illæ cogitationes in nullo instanti infinitæ erunt, sed plures, & plures per æternitatem. Sed instabis cognoscit simul ex parte cognitionis cogitationes omnes futuras per æternitatem: ergo videt nullam præter ea superesse. Ergo non sunt infinita futura per æternitatem, siue sincathegorematicè infinita. Distinguo antecedit omnes collectiue determinate parte obiecti negatiuiue, & indeterminate concepto antecedit. Videt enim simul plures, & plures per æternitatem succeduras. Vnde negatur prima, atque inde etiam secunda consequentia.

2 Oppones Secundo. Christus videt in verbo omnia existentia pro quouis temporis differentia ergo in eo instanti, quo videt suam visionem, videt hanc visionem reflexam, & aliam, qua reflexe videt hanc certam, & aliam, qua reflexe videt quartam, & sic in infinitum visiones reflexas: ac proinde infinitum cathegorematicè rerum existentium: quod ipsum argumentum confici potest de reflexis cognitionibus. Dei supra visiones reflexas Christi visionis suæ, & visionum reflexarum Dei. Respondet Lugo. d. 19. lect. 1. num. 14. visionem Christi directam esse eandemmet supra se ipsam reflexam non secus, ac diuinam: quare re ipsa vnica esse solum visionem Christi, licet realiter virtualiter à se ipsa directam, solumque formaliter diuersam per rationem: sicut in diuina scientia philosophamur. Vnde reale formale infinitum cathegorematicum conditionum reflexarum Christi non inferitur, sed solum reale virtuale, & formale solum rationis, seu per rationem, in quo nullum est obseruandum, sicuti neque est in Deo, vt à numero 17. ad idem argumentum in visione diuina reformatum, & in cognitione Christi reflexa supra suam diuinam cognitionem. Contra tamen est quia vis relictendi supra se ipsam propria solum est diuinæ cognitionis tum quia infinita est, tum quia essentia sua omnium cognoscibilium representatio è suo primario obiecto euadit, nihilque ab aliis obiectis representationis formalis acquirat, sed sola exteriorum positione ea representat, quare in ratione representationis ab illis nullatenus pendet, neque est illis vllatenus posterior, cognitio autem omnis creata, finita, ac determinate representationis sit, id solum in omni signo representat determinate, quod in primo representabat, estque quouis suo obiecto posterior, quare nihil aliud representat: potest, quod primo non representabat, ne in aliquo signo sine se ipsa sit, nequitque suo obiecto quod representat non esse posterior: quocirca, cum visio creata Christi directam vbi primum alia obiecta extrinsecè representabat, se ipsam non representet eadem: et nequit pro signo visio reflexe se ipsam representare, quin in primo sine se ipsa fuisse conuincatur: nequitque se ipsam representare, quia sit se ipsa natura posterior, atque à se ipsa pendere, quæ omnia contradictiones manifestas inuolunt.

3 Facilius ergo longè, longèque verius responderetur negando antecedens. Nec enim opus, imò nec possibile est Christum, quia hominem existentia omnia, in quavis differentia temporis in verbo, imò neque absolute videre: cum enim visionem suam alia necessario reflexa videre debeat, & hanc alia, & infinitum cathegorematicum, admitti de facto debet contra omnes, & quod pugnantis contradictoriè est processus eorum, & cuius repugnantia cum Aristotele Dei, seu primæ causæ existentia à philosophis, & Theologis omnibus in primis demonstratur, siquidem obiecta quævis causalitate suas creatas cognitiones, ac visiones præcedunt, vel sistendum tandem est in aliqua Christi visione, quæ ab ipso ulteriori reflexa non cognoscatur: ac proinde asserendum non omnia, quæ in quavis duratione existunt à Christo videri. An vero visionem directam suam reflexa alia Christus videat in verbo, atque hanc alia, atque alia istam, & quo tandem vsque supra suas reflexas, & reflexas visiones reflectendo perueniat? taxatum à Doctoribus hæcenus non est. Censeo ergo reflectere supra suam visionem beatam, vti ad gaudium de summa illa felicitate concipiendum oportet. Item supra visionem directam aliarum creaturarum, quarum visio titulo non solum vnionis hypostaticæ, sed status beatifici debetur, ac propterea visio eorum in verbo nuncupatur: quia, & id ad gaudium accidentale de statu illo beatifico spectat, ibique visiones reflexas Christi sistere: quia cum in aliqua vltima sistendum ipsi sit, vt diximus, quæ reflexa alia non videatur, ne processus infinitus admittatur: atque non sit maior ratio concedendi reflexam visionem secundam, quam tertiam, quartam, quintam, & reliquas in infinitum, in prima visione reflexa sistere Christum cordatus, & rationabilis asseritur. Scio contra visionem beatam Christi opponi à Recentioribus, quod contra visiones beatas omnium Beatorum militatæque. Nempe si detur visio beata Christi fore incorruptibilem natura sua: quod pugnat cum prædicato creaturæ in ipsa inhibito. Nam visio beata essentialiter est vera iudicatiuè, siue ipsius, ac suæ perpetuitatis representatio. Fallo enim assumitur visionem beatam esse essentialiter veram iudicatiuè. Simpliciter enim visione consistit, iudicium autem de eius duratione erit, siquidem habet è libero decreto Dei conforme, ipsumque decretum sequens. Secundum falsum omnino est: esse sui ipsius, ac suæ perpetuitatis representatiuam, vt patet ex dictis, & tandem respondet Lugo num. 23. S. *Respondet secundo, & melius.* Patet ex dictis: & tertio, cum eam perpetuitatem non habeat visio à se neque ex vi primæ suæ existentie: cum visionem sui in via, & ad tempus dari à Deo non repugnet, licet ratione flatus detur Beatis cum perpetuitate, & eaque visione beata ipsa vera essentialiter iudicatiuè representetur, iudicabitur, eritque perpetua, & incorruptibilis ex decreto Dei, in quo nulla est repugnantia, vt patet.

4 Dico tertio vidit Christus in verbo infinita sincathegorematicè virtute finita. Conclusio huius probatio facilis est, iamque supra data in simili, atque in re præsentem dabitur commodius dum Scoti argumentum à priori soluamus num. vltimo postquam fuciles aliorum solutiones reiecerimus. Arguit Scotus ad cognoscendum æquè duo maior virtus requiritur, atque ad cognoscendum vnum: atque ad plura duobus maior, maiorque ad plura: ergo ad cognoscendum infinita sincathegorematicè in infinitum succedentia virtus infinita requiritur. Confirmatur: quia quo plures cognoscuntur effectus perfectius cognoscitur causa: ergo cum effectus infiniti cognoscuntur infinite perfecte cognoscitur causa, quod virtute finita fieri nequit. Recentiores apud Vvadingo d. 6. dub. 5. num. 60. verumque antecedens distinguunt. Si plura, aut infinita in se cognoscantur maior, aut infinita virtus requiritur, concedunt: requiruntur enim plures, aut infinitæ species, si cognoscantur in alio, vt à Christo in verbo cognoscuntur, negant: quia vnica illius species sufficit. Sed contra primo: quia videri à Christo, & beatis creaturis in verbo non est videri per verbi speciem, & abstractiue, sed verbi visionem beatam titulum esse, vt illis visio creaturarum donetur iuxta doctrinam nostri

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.


Vasq. d. 50. c. 3. ac sæpè. 1. p. & t. 1. r. 2. à nobis datam, hic, fusiuseque probatam controu. de Beatitudine: quare visio creaturarum in se cum sit, atque infinitarum, vel infinitis speciebus formaliter, aut virtualiter opus erit in hominum doctrina. Secundo: sit medium in quo infinita illæ creaturæ à Christo cognoscantur non ne infinitum quid mouens, vt medium ad eorum cognitionem requireretur. Contra tertio: quia difficultas non est in infinitate specierum formali, vel virtuali, quæ se tenent ex parte obiecti, nec magis negari earum infinitas discreta potest, quam infinitas obiectorum, si se ipsi concurrerent, sicut, vt minimum, terminant cognitionem, sed de virtute potentie, aut luminis se ex parte potentie tenentis, aut formalis virtutis specierum requisitæ ad infinitorum cognitionem, an infinita esse debeat?

5 Vvadingo ipse multis extra rem num. 64. notatis responderet num. 65. distinguendo antecedens primum (quomodo etiam in eius doctrina distinguitur secundum debet) Maius lumen requiritur ad cognoscenda æquè perfecte plura pluribus actibus: vnico actu negat in primis, si quæ de virtute contra Recentiorum sententiam, quam execratur Vvadingo ad cognitionem transferantur datis eorum impugnationibus, & ipse confutatur. Secundo per ipsum n. 64. tota difficultas est in animi attentione æquè præstantia pluribus obiectis æquè cognoscendis, atque vnihæc vero difficultas eadem est, siue vna siue pluribus cognitionibus cognoscantur. Contra tertio: quia in huius doctrina ea difficultas maior attentionis animi æquè præstantia pluribus obiectis, & cognitionibus, quam vni, est eius necessitas, & dependentia à magna copia spirituum vitalium ad perfectum phantasma requisitum, ad perfectam cognitionem: ergo in iis, qui cognoscunt independentem, ac sine conuersione ad phantasma æqua poterit esse animi attentio ad plura obiecta, atque ad vnum: ad plures item, atque ad vniam cognitionem: atque in sententia Gregorij in 2. d. 11. q. vnica, quam sequitur Vvadingo num. 64. & 65. Beati intelligunt sine conuersione ad phantasma, ac independentem ab illo: ergo æqua poterit dari in eis, & in Christo proinde animi attentio ad plura obiecta, quam ad vnum, ad pluresque æquè perfectas, atque ad vniam eorum cognitionem. Non mittam falso argumento induci Vvadingo hic, vt putet naturaliter æquè posse perfecte plura simul cognoscere, atque vnum: quia, quo perfectius cognoscitur obiectum eo perfectius amatur: ergo perfectio vnus operationis animæ non obest perfectioni alterius: est enim in operationibus, quæ alias animæ iuuant, vt cognitio ad amorem obiecti, media qua à bonitate obiecti impellitur voluntas ad amorem, & in præmissis respectu assensus conclusionis, res ita habeat: quia quantum virtutis in attentione animæ necessaria in huius doctrina ad perfectiorem cognitionem infumitur maiori applicatione obiecti per illam, & impulsu ad amorem, & assensum conclusionis compensatur: aut in cognitionibus non subordinatis, quales sunt obiectorum disparatorum, vt futura, quæ Christus nouit, non est, quo ea virtus perfectæ vnus cognitioni impensa compensetur. Melius probaret: quia potentia vitalis intellectus applicata æquè, & de se expedita operatur naturaliter quantum potest: quare æquè applicata pluribus, & expedita, atque vni æquè perfecte plura, atque vni cognoscere, sed hæc de re contr. de anima, vbi propria difficultas huius sedes, ab ipse disputauimus.

6 Facilius ergo independentem ab vnitate, vel pluralitate specierum, & cognitionum, quibus plura obiecta cognoscantur, responderetur, distinguendo antecedens vtrumque: maior virtus requiritur ad plura æquè cognoscenda, atque ad vnum ex parte vitalitatis potentie, seu principij vitalis, præcisè nego: quia eadem virtus intellectus in se vitalis potentie plura, & vnum æquè perfecte potest cognoscere: ex parte principij non vitalis subdistinguo: maior: proportionem arithmetica fateor: proportionem geometricam nego, & idè est de perfectiori cognitione, & maiori causæ, quo plures cognoscuntur effectus: vnde negatur vtraque consequentia. Doctrina hæc distinctionis sapius à nobis data est, & explicata estque, vel pueris

T t t ipis

ipsis nota, quare largiori explicatione non eget. Totaque solutio confirmatur aperte in visione Dei, obiecti nimirum non secundum quid, & in vno genere infiniti, (quo, vt summum, modo creata infinita esse, adhuc synthetice possunt,) sed simpliciter, & absolute infiniti; & tamen lumine, specie, & cognitione finita à Beatis videri dogma Theologorum est. Disputari hic à nonnullis solet an visione beata Christus, qua homo, Deum comprehendat, vel sola, vel adiuncta etiam eius titulo, vt diximus scientia omnium possibilium, & futurorum. Id quod de Beatis vniuersim plures discutiunt. Nobis autem utrobique omitrendum est. Tum quia ex dictis, controu. de attributis. d. de Dei incomprehensibilitate dirimi à quouis negatiue nullo negotio poterit: tum quia à nobis ita pro veraque questione fuit dirempta, ne quaestio, vocum potius, quam rerum, & pius nostras carthas oppleret.



Q V Æ S T I O II.

De scientia per se infusa humanitatis Christi Domini.



X dictis constat creata, siue futura, siue possibilis, licet non visione beata, eius tamen titulo per aliam scientiam videri. Ea autem vna è tribus, aut triplex esse in Christo potest. Vel per se infusa, quæ nimirum quoad substantiam supra intellectus humani vires, & exigentiam absolute fit: non loquimur autem de fide, de qua alia instituetur quaestio, sed de creatorum visione: infusa per accidens, quæ, licet intellectus humani viribus parari, atque exigi absolute possit, hic tamen, & nunc nec parari, neque exigi valet: tandem acquisita, eiusdemque rationis cum ea, quam de pluribus proprio labore, & industria homines acquirunt, in præsentem autem de infusa per se solum disputamus, de duabus aliis deinceps dicturi.

CERTAMEN I.

Scientiam per se infusam animæ adfuisse Christi Concors Theologorum sententia est.

I Alex. 3. p. q. 13. m. 1. & 2. S. Bonau. in 3. d. 14. a. 1. q. 1. Scotus. q. 3. §. Contra concl. Richard. 2. 3. q. 1. & 2. Almain. q. 1. a. 2. Gabr. q. vnica. a. 2. in it. Nominales reliqui, & Dur. q. 4. scientiam aliquam à visione beata diuersam, per se infusam, in Christi humanitate non fuisse, sed solum per accidens infusam, eiusdemque rationis cum acquisita ad. Et enim licet creata in verbo videri negent, aut eadem verbi visione beata cum illo videri opinantur: quare, & aliam per se infusam scientiam ad ea videnda superfluere: quandoquidem ea posita, neque amplius, neque melius viderentur, quam visione beata qua vero consequentia scientiam per accidens infusam admittant, contra quam sua hæc militat ratio, profus ignoro si dicant scientiam illam, seu visionem beatam, quatenus ad inferiora obiecta acquisita terminantur, per accidens infusam nominari, sicut, qua terminatur ad Deum, beata dicitur, dicant per se etiam infusam vocari, quatenus ad superiora obiecta scientiæ per se infuse propria contendit. Reliqui Theologi scientiam per se infusam animæ Christi adferunt. S. Th. 3. p. q. 9. a. 4. corp. ac sæpius. q. 11. quibus in locis Thomistæ, ac interpretes omnes. Capreol. in 3. d. 14. q. 1. a. 1. concl. 2. & a. 3. ad 1. contra 2. concl. Paludan. q. 2. Matil. q. 10. a. 2. Vafq. d. 5. c. 1. Soar. d. 25. scet. 3. §. dico primo Vvadingo. d. 6. dub. 5. n. 105. versu dico tertio.

licet non suis principiis, sed sola Scholasticorum autoritate, non vltro eat, sed trahatur, Lugo. d. 2. o. scet. 1. Bernal. d. 35. vbi non tam disputat, quam supponit quatenus vero à visione beata distinguatur iuxta varias eorum sententias de visione creaturarum in verbo erunt intelligendis; Nos autem eam ex æquo à visione beata distinguimus.

2. Egrè autem ab his doctoribus sententia de scientia infusa per se à visione diuersa in Christi anima contra aduersarios, quorum ne tanguntur quidem, ne dum questantur, principia, suadet. Arguit. S. Th. q. 9. art. 3. quæ omne quod est in potentia ad formam, etiam supernaturalem, quando ad actum non reducitur imperfectum maneat intellectus est in potentia ad omnia intelligibilia, etiam supernaturalia, reduciturque ad actum per species intelligibiles, & cognitiones eorum: ergo quando eas intellectus Christi non habet imperfectas erit ad quod statum vnionis hypotheticæ dedecet valde; dicent autem aduersarij imperfectione entis esse, si omnino in potentia sit, vel ad actum perfectiorem; secus autem si ad actum perfectiorem perfectiori actu reducatur: vt reducitur intellectus Christi respectu creaturarum per actum visionis beate scientia infusa longè nobiliorem, ac per nobiliorem species obiectorum supernaturalium, nempe lumen ipsi gloriæ, vel nobiliores alias, quæ cum ipso ad eundem actum visionis Dei, & obiectorum supernaturalium concurrant, vt patet in Angelis, quorum intellectus, sicut, & animæ separatae imperfectæ non est, licet sit in potentia ad cognitionem obiectorum naturalium per species alienas, quia speciebus propriis eorum dignitati, & similibus debitis, ac proportionatis, & nobilioribus ad actum ea cognoscendum reducitur. Quæ etiam doctrina conuenit nostri Lugo ratio secunda desumpta ex statu gratiæ, & sanctitatis humanitatis Christi ratione hypotheticæ vnionis longè nobiliori eo, in quo animæ iustæ separatae, atque Angeli per gratiam adoptionis, & visionem beatam collocentur, tanquam per radicem aliorum donorum, & specierum supernaturalium. Et enim si status humanitatis per vnionem longè nobilior est nobilioris species obiectorum supernaturalium, nobiliorque eorum cognitio humanitati Christi à nominalibus assignatur, quam sint species, & cognitiones per se infusæ Angelis, & animabus beatis.

3. Si ergo, quid de vtriusque sententiæ diffidio facere iudicem dicitur sim, reor earum Doctores, quoad præsentem attiner difficultatem de nomine solum distendere. Cum enim primæ sententiæ Doctores asserant eadem beate visionis actu creata omnia videre, & quatenus circa supernaturalia obiecta creata versatur, vel à gloriæ lumine, vel à speciebus supernaturalibus simul cum illa concurreribus procedere, nequeant negare, quatenus ad ea terminatur, supernaturalis, quoad substantiam esse scientiam illam inficiari non possunt: quare nec, quoad præsentem attinet, de re à Doctoribus secundæ sententiæ distandæ, quoad alia vero, quæ nominalium sententiæ continet, de rebus, nec solum de vocibus, non vna solâ contr. esse poterit. Prima: an eadem visione beata, creata etiam obiecta supernaturalia à Christi humanitate videatur: an hoc solum Secunda: an speciebus diuersis à lumine gloriæ, an hoc solum ad ea cognoscenda humanus Christi intellectus, & elevatur, & vtatur? Tertia: an species eiusmodi particularis quo vnoquoque supernaturali obiecto sint, an vniuersales quo eorum pluribus, vel omnibus, quæ ad quæ rationem referuntur scientiæ per se infuse principiis, non ad præsentem spectant in qua meo iudicio, vt dixi, de rebus non discordantur omnes scientiæ obiectorum supernaturalium per species supernaturales quoad substantiam, quare, & quoad substantiam supernaturalis, ac per se infusæ Christi animæ continentur.

4. Ea propter, licet nihil censura dignum ab eorum animæ Christi scientiam per se infusam negaret, præstantissimè conspirato asserant Doctores: ita eos tamen interpretentur, vt de censura hæresis, erroris, siue proxima loquatur, que temeritatis notâ is fugere potest, qui rationi probabili saltè, aut aperto Patrum testimonio desititurus vti opinari eueniret, cõtra omnes Theol. in hac gratia deceret: Ex quo vero scientiæ hæc animæ Christi fuerit infusa conuenit.

conueniunt Dōctores eam ipsi à conceptionis initio inditam esse. Cum enim ratione vnionis tunc facta, & dignitatis, quam hæc in animam illico deriuat infundenda esset, atque à sensuum, & phantasia ministerio, quæ ad suam perfectionem tempus requirent, minime pendeat, illico infundi, & potuit, & debuit: nihilque fuit cur Deus in eius infusione traheret moras. Probatur secundo ex Paulo ad Hebr. 10. vbi sic ex Psal. 30. de Christo, qua homine scribit: *ingrediens mundum, dicit: hostiam, & oblationem noluit corpus autem adaptasti mihi.* quibus docet Paulus tunc, cum primum conceptione sua mundum Christus, qua homo ingrederetur, totum incarnationis suæ, ac redemptionis nostræ mysterium supernaturalis, ac de eo diuini consilium percussisse, suaque ad redimendos homines partes acceptasse. Subditque propterea Paulus in qua voluntate sanctificatus unus.

CERTAMEN II.

Obiectorum naturalium futurorum non fuit scientia per se infusa, secus conditionatorum, & possibilium secundum eos status præcisè.

1 Supernaturalia omnia in obiectis scientiæ huius per se infusæ contineri secundum omnes eorum status certum est: dummodo non omnes actus Christi includas, ne processum in infinitum reflexarum Christi cognitionum in curras. De naturalibus obiectis etiam futuris plura imo omnia ad scientiam per se infusam humanitatis Christi pertinere docent Soar. d. 27. sect. 1. §. *Di-co primo.* Falso referens omnes, qui hæc scientiam in Christo admittunt. Ragusa. d. 90. sine Cabrera. 3. p. q. 1. 1. a. 6. d. 3. conclus. 1. Lugo. d. 20. sect. 2. n. 25. & 29. Bernal. d. 37. sect. 1. n. 2. refertur pro ea possunt, qui actum supernaturalem circa obiectum, etiam formale, purè naturale admittunt (si Scotum, & Gabrielem excipias, qui nihilominus aliter in re hæc aliunde censent) ij vero sunt Bassol. in 3. d. 28. q. vn. a. 1. d. 3. q. vn. a. 2. ad 1. Conrad. 1. 2. q. 2. n. 3. Palacios in 1. d. 28. d. 2. Molina in concordia. q. 14. a. 13. d. 7. 13. 14. & 32. Egid. de supernaturalit. d. 5. dub. 3. ac de fide d. 14. num. 7. Herice. p. d. 38. Granad. 1. 2. controu. 8. de gratia tract. 1. d. 14. sect. 3. & protemio. 1. p. d. 4. num. 17. Lorca. d. 9. de gratia concl. 1. & 2. Sforzia. 4. summa Theolog. n. 25. Vinsfeldius de libero arbit. & grat. sect. 3. m. 4. cum Guilliel. Borrillung. in 3. d. 23. q. 1. quos refert, & sequitur Ripalda 1. 1. de Ente supernat. lib. 3. d. 45. sect. 1. & 2.

2 Dicendum tamen nobis est primo: nihil naturale futurum absolute, seu existens in quouis temporis differentia est obiectum scientiæ per se infusæ animæ Christi. Ita Scotus, & Gabriel, & nominales omnes S. Bonau. & Richard. citati cert. 1. n. 1. Vasq. d. 52. c. 1. Mæratius de incarnat. d. 26. sect. 1. n. 6. & 7. quibus adde negantes posse esse actum supernaturalem circa obiectum omnino naturale, etiam pro formali ij vero sunt Caiet. 1. 2. q. 63. a. 3. Curiel. q. 109. a. 1. dub. 3. §. 4. conclus. 2. Zumel. d. 1. & 2. a. 3. d. 3. Medina q. 62. a. 2. Bann. 2. 2. q. 1. a. 2. q. 6. a. 1. q. 24. a. 2. & Thomistæ reliqui, ex nostris præterea Arrubal. 1. p. q. 14. c. 6. Fasol. q. 12. a. 1. num. 9. a. 8. num. 42. Tanner. t. 2. d. 6. q. 3. num. 13. Didacus Ruiz de præd. d. 46. sect. 5. num. 3. Probatur conclusio quia actus potentie naturalis circa obiectum purè naturale non habet connexionem cum aliquo supernaturali: ergo neque est supernaturalis quoad substantiam: atqui visio humanitatis Christi circa creata obiecta naturalia absolute existentia est actus potentie naturalis circa obiectum purè naturale: ergo non est supernaturalis, quoad substantiam, siue, quod idem est per se infusa. Antecedens primum est certum, & consequentia prima legitima. Etenim supernaturale per se, & absolute, siue secundum substantiam illud solum-

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

modo est quod habet connexionem cum aliquo supernaturali: quare, & ordine rerum supernaturalium pe-reunte consistere, & illud nequiret. Reliquæ consequentia indubitata sunt, vt patet ex quæstionis præfatione, siue explicatione, vt mitram modo nec si connexionem haberent statim supernaturalem fore visionem: ostendi enim controu. de ente supernat. in genere posse esse ali-quod ens naturale essentialiter à super naturali principio effectiue pendens, dummodo à natura pendeat exactiue.

3 Dices primum antecedens falsum esse, quia actus potentie naturalis circa obiectum purè naturale suppo-rit quandoque ex parte potentie habitum supernaturalem, ac proinde habet connexionem cum illo, estque super-naturalis: sicque euenit visioni Dei de obiectis creatis naturalibus absolute existentibus. Contra primo: quia habitus supernaturalis, siue supernaturale comprincipium ex parte potentie solum habet locum cum potentia improporionata de se est ad obiectum, & proinde insufficientis, neque potens se sola illud attingere: atqui potentia naturalis porporionata de se est obiectum cuius naturalis: cum sit in eodem ordine naturalitatis cum illo, neque hoc sit in ordine superiori, quouè nequeat facultas naturalis pertingere: ergo habitus supernaturalis non habet locum in potentia naturali, vt versetur circa obiectum purè naturale. Contra secundo: quia potentia naturalis per vos, & omnes versari potest de se circa obiecta purè naturale quoduis: ergo ad actum huius potentie circa illud nequit concurrere ex parte potentie habitus supernaturalis, vt supernaturalis est. Probo consequentia: Nam in actu, qui totus potest procedere à principio naturali, & obiecto naturali purè, nihil est supernaturale, vt patet: quo circa, licet diuina voluntate habitus supernaturalis ad concursum cum potentia vocaretur non concurreret concursu, siue influxu supernaturali: seu formaliter, vt principium supernaturale, sed influxu naturali, & vt principium naturale formaliter: sicut eadè adhuc formaliter inefficilis omnipotentie virtus cū, causis naturalibus, non supernali influxu, & virtute formaliter, sed naturali ad effectus naturales concurrat. Denique omnia prædicata actus circa obiecta naturalia adæquate respondent potentie naturali, & obiecto: ergo hæc solum ex parte principij præsupponuntur iuxta doctrinam læpè à nobis probatam in phisicis contr. de causis. d. de causa adæquata, & inadæquata.

4 Dices primo: hæc omnia solum probare non posse dari habitum, siue comprincipium supernaturale ex parte potentie naturalis, vt versetur, siue ad actum circa obiectum purè naturale, quia de se potest versari circa illud, atque omnia prædicata actus sufficienter respondent potentie, & obiecto naturali. Sed hæc solum probant non requiri comprincipium supernaturale, siue habitum ex parte potentie, at si secus dari à Deo non posse absolute cum non repugnet in nostris principiis eundem effectum pendere à duplici causa adæquata. Sed hoc præclusi impugno. 2. sine. Ac rursum impugno: quia ne materialiter quidem potest principium supernaturale ex parte potentie se tenendo concurrere ad actum naturale: siquidem in eo actu nullus concursus ex parte potentie se tenens esse potest nisi vitalis, quæ habitus supernaturalis, aliuq. re agens præter potentiam vitalè præstare nequit. Tertio: cum actus ad quem potentia naturalis potest, quique ipsi, & obiecto secundum omnia sua prædicata sufficienter respondet naturalis prorsus sit, licet deus superfluo concurrere ad illum habitum supernaturalem potentie inditū idem ipse erit, ac proinde naturalis secundum substantiam, ac non scientie per se infusæ. Dices secundo circa obiectum naturale purè posse quidem de se potentiam versari, ac sine habitu actibus pluribus, non tamen omnibus possibilibus, in quibus sunt aliqui, qui ex modo tendendi in obiecta naturalia purè supernaturales sunt, ac principium supernaturale requirunt. Sed modus iste tendendi actui identificatus, qui supernaturalis sit, neque ab aduersariis percipitur àliquando, cum nunquā nobis explicetur. Etenim quidquid in actu cognitionis ipso modi, & perfectionis hæctenus inuētū fuit, est intentio, claritas penetratio obiecti, quæ omnia pro maiori potentie conatu, specierum intentione, &

Tit 2 perfectio

perfectiōne augetur, & pro summa ad summum: neque ab habitu supernaturali proueniunt, qui ad nihil horum datur, sed ad proportionandam potentiam de se improporionatam cum obiecto, quæ si abesset habitus supernaturalis fidei, spei, & charitatis à nullo admitterentur.

5 Respondet secundo Bernal. num. 4. res purè naturales cognosci posse sub ratione, & motiui formali supernaturali, potentia obedientialis, quam habent, dissimilitudinis à rebus supernaturalibus, productionis, ut re ipsa est, suæ à Deo Trino, quæ omnia supernaturalia formaliter sunt. Soluit quæstionem solutio, non difficultatem. Et eadem vel ea omnia prædicata, quæ supernaturalia esse asserit absolute intrinseca sunt rebus naturalibus, vel extrinseca: si extrinseca: ergo naturalia secundum se cognita à Christo non cognoscuntur scientia secundum substantiam supernaturali, & per se infusa, quod solum contendimus, non autem quod sub alio motiui supernaturali cognita scientia, siue cognitione per se infusa non cognoscantur: nam sub motiui diuinæ reuelationis nemo dubitat cognitione supernaturali cognosci naturalia obiecta posse. Si autem eas omnes rationes intrinsecas rebus naturalibus absolute asseras, cum per te supernaturales sint, naturalia omnia absolute supernaturalia esse asseres. Ut enim aliquid supernaturale absolute sic satis est aliquam eius formalitatem supernaturalem esse, ut patet in visione beata, quæ, qua visio, & qua uisualis formaliter, & secundum alias formalitates, in quibus cum cognitionibus naturalis conuenit supernaturalis non est, & tamen absolute est supernaturalis: quare destruitur quæstio, nullumque obiectum purè naturale relinquatur: nec soluitur argumentum quod circa purè naturalia obiecta visio debeat esse naturalis, solum enim euincitur doctrina hac, quod possit esse supernaturalis circa obiecta supernaturalia, ac non purè naturalia. Denique tota Doctrina est falsa, & in philosophia ostendi. Potentiam enim obedientialem à rebus creatis eradicari, nec si admittatur supernaturalis erit, sed prædicatum generale creaturæ, & subiectionis eo titulo diuinæ omnipotentia, & Dei uoluntati, ad quouis usus: quod supernaturale non est, sed potius commune naturali, & supernaturali creaturæ. Relatio uero dissimilitudinis, sicut prædicamentales reliquæ reuera nihil præter fundamentum, & terminum habet addunt: quare in dissimilitudine entis naturalis à supernaturali hoc solum supernaturale est: quod si uelis aliquid fundamento superaddi, non autem uoles ipsi identificari, quod in sanam mentem cadere nequit: sed esse accidens quoddam: quod non tollit ens naturale, quod eam habet secundum se in naturalitate pura permanere, atque, ut talem uideri illud de productione, neque impugnatione opus habet.

6 Licet autem hæc ita sint de absolute existentibus obiectis naturalibus in quavis temporis differentia de conditionate uero solum existentibus, uel possibilibus naturalibus prout in eis statibus, censeo scientia per se infusa à Christi humanitate uideri. Ratio est: quia Christus ea secundum eos status in se uidebat, & clarè æquè, atque absolute existentia: id quod nisi per species proprias eorum secundum status illos possibilitatis, & conditionate futuritionis fieri non potuit: atqui species propriæ possibilium, & futurorum conditionerum, qua talium, sunt supernaturales quoad substantiam: ergo, & eorum visio supernaturalis quoad substantiam, ac per se infusa scientia erit: nihil enim requirit ad sui existentiam principium supernaturale quoad substantiam quod natura non exigit, quod supernaturale non sit. Minor suadetur quia futura conditionata, & possibilis, qua talia, secundum eos status absolute non existunt, siue non habent, ut sic existentiam: ergo nequeunt efficere, neque exigere à Deo specierum sui secundum status illos productionem, sed neque ab ullo alio ente naturali exigi, aut produci possunt: ergo earum productio est supra vires, & exigentiam totius naturæ quod ipsum est. Supernaturalem illam secundum substantiam esse: quod secus euenit in absolute existentibus, quæ sui species producere, aut

exigere aliquando possunt: ac proinde, cum nondum ad sunt, uel quando præterierunt, licet nõ exigant, ac proinde sine eorum concursu, aut exigentia à Deo producantur species, quoadmodum eas producendi supernaturalis solummodo sunt, quoad substantiam uero naturales: quia sunt eiusdem rationis, & speciei cum illis, quas illa obiecta, si adessent, uel producerent, uel exigent. Dicit ergo cognitio, seu visio Christi de absolute existentibus, in quavis temporis differentia, negationibus supernaturalium fuit supernaturalis quoad substantiam: quia non sunt existentia, sed existentia potius negationis. Obiecto hanc tangit difficultatem proxima de possibilitate, uel impossibilitate specierum propriarum puræ negationis in intellectu quam nunc definire prolixum, & extra rem esse. Respondeo ergo si possibiles sint in se uideri à Christo negationes incertum autem, an negationis quali quali existentia absolute debeantur: quia eas, licet ægere nequeant, aut possit exigere. Si impossibiles solo discursu, ac non in se, & per species proprias, à Christo uideri naturalis scientia.

CERTAMEN III.

Deus nullatenus est obiectum scientia per se infusa Christi.

1 Non desuere, qui Deum in obiectis huius scientia per se infusa numerarint. Aliqui enim per ipsam quidditatiuè cognosci. Deum asseruere. Durandus uero apud Bernal. iam citandum utcumque ea scientia cognosci Deum, ut uerum aiebat. Bernal. ubi proxime §. 2. n. 11. cognosci etiam ut trinum: pro quo referet Cuiet. q. 1. r. 1. 1. Soar. d. 27. lect. 5. Salas. 1. 2. t. 2. tract. 2. d. 6. lect. 7. Ripaldam t. 1. d. 12. lect. 2. Lugo proxime lect. 3. qui solum ait Trinitatem ex uisione unionis hyposthatice cognosci, non autem per scientiam infusam, Ripalda uero ubi hac de re nihil. Solum lect. 1. n. 7. argumento Aluarez respondit Deum per scientiam infusam posse abstractiue uideri. Vulgator tamen, longæque ueror sententia negat Deum scientia per se infusa à Christi humanitate cognosci. Ita Bannes. 2. 2. q. 5. a. 1. Valq. ubi proxime, & 1. p. d. 131. c. 3. pluresque Recentiores expresse in super. S. Th. 3. p. q. 1. a. 1. in hæc uerba ipsam diuinam essentiam per hanc scientiam, per se infusam, non uisit, Christus, sed per beatam. Utrouero cognitione quidditatiua non cognosci Deum per scientiam infusam approbat. d. 6. dub. 9. S. Dico prima. Lugo supra, sed non aliter cognosci per illam nõ impo- bar. Probat uterque quod expresse approbat de cognitione, quidditatiua: quia quidditatiua rei cognitio est uisio, & intuitio ipsius, ut præter illos Valquius, & Soarez affirmant: quæ Dei non nisi per scientiam beatam haberi potest. Sed tamen claritatem uisionis, & intuitionis ut ad quidditatiuam eius cognitionem non requirit, sed tantum esse si exactè eius quidditas, & essentia adhuc per species alienas, & abstractiue cognoscatur certum mihi est. Sicque Aristoteles, & Philosophi reliqui definitionem non per essentialia prædicata abstractiue cognita, quæ cognitio abstractiua est, quidditatiua, & essentialis, cuius definitionem, & cognitionem constanter huculque nominarunt.

2 Probatur autem uniuersim conclusio. Quia Dei uisio, & intuitio nequit nõ esse uisio beata: atqui scientia per se infusa, qua talis, uisio beata non est: ergo nec Deum in se, & intuitio est scientia per se infusa. Sed neque est abstractiua Dei cognitio hæc scientia, siue Dei cognitio in nullo enim obiecto scientia per se infusa cognosci Deum potuit ab humanitate Christi per ipsam scientiam. Tū quia si aliquid eius obiectum mouere possent: ut in ipso uel ex ipso Deus cognosceretur solum posset, moueretur cognosceretur Deus per aliam cognitionem à scientia infusa dependentem, quæ scientia per se infusa non esset, sed ab ea diuersa, sicut quæ ex obiectis reuelatis intellectibus cognoscitur: assumptum probat. Licet enim plura scientia per

per se infusa relativa sint ad Deum, siue vnum, siue tri-
num, atque cum eo connexa; demumque relativa esse me-
dia ad correlatiua cognoscenda: ad medium ad cognos-
cendum aliud, prius natura debet cognosci, quam illud,
ad quod cognoscendum medium est: alioqui non erit me-
dium in quo aliud cognoscatur, sed simul cognoscetur v-
trumque in seipso, vel in alio suo medio, vnumquodque
vt ait Aristoteles de reatiua esse simul natura, & cogni-
tione, cum quo nequit stare vnum esse medium ad cog-
nosendum aliud correlatum. Iam vero si medium præ-
nosci natura debet ad id quod in ipso cognoscitur, ac
proinde obiecta scientiæ per se infusa, in quibus tan-
quam mediis Deus abstractiue cognoscendus est, præno-
sci per illam debet ad sui abstractiuam cognitionem in
ipsis non poterit sic cognosci Deus per infusam scientiam
quin ipsa scientia infusa sibi ipsi prioritate natura præ-
cedat quod est implicatorium, & contradictorie repug-
nans: ergo repugnat Deum per scientiam infusam in eius
obiectis abstractiue tanquam in mediis cognosci, ac pro-
inde Deum abstractiue cognoscitur esse scientiæ per se in-
fusa Christi obiectum.

3 Secundo licet relativa mutuo in essendo dependant,
atque inuicem in existendo connexa sint, quare ex vnus
existentia inferri aliud possit: tamen vnum sine alio cog-
nosci posse non dubito, non enim ex connexione, & de-
pendentia in essendo statim inferitur dependentia for-
malis & connexio necessaria in cognoscendo nisi solum
materialis dependentia vnus ab alio, tanquam apponen-
te, seu comitante suam entitatem, in qua veritas, & cog-
noscibilitas obiectiua diuersa ab illius alterius extremi
veritate, & cognoscibilitate est: quare & apta secundum
se, sine alio terminare cognitionem. Sed esto, nequeat
vnum relatiuum sine alio cognosci, sitque inuicem me-
dium, vt vnum in alio, ac per eandem cognitionem ab-
tractiue cognoscatur. Hic tamen in casu nostro Deus
abstractiue in obiectis scientiæ per se infusa ad ipsum,
quavis ratione relatus, non cognosceretur ab humanitate
vnita, quia Deum eius decentiam, & dignitatem attenden-
tem claram termini visionem donare oportebat, nisi habi-
tatem præsupponeret: quo in casu in conspectu claræ
Dei visionis nullum medium vim haberet ad mouendum
humanitatis Christi intellectum ad cognitionem Dei ob-
scuram, & abstractiuam, vt de testimonio humano ad cre-
dendum quod videmus vim non habere ostendebamus
in controuersia de actibus intellectus: licet de testimonio
diuino alia sit ratio, vt videbimus q. 5.

CERTAMEN IV.

Argumenta aduersantia diluuntur.

1 **O**ppones contra concl. de obiectis nar. absolute exi-
stentibus futura naturalia, & secreta cordis in se-
ipsis visa à Christo sunt, & prædicata sæpe, atque hæc
vtraque nequeunt habere, neque exigere species proprias:
ergo eorum species supernaturales quoad substantiam
sunt, nec solum quoad modum: quare, & eorum visio per
se infusa scientia erit. Vt dicitur d. 6. dub. 7. §. 2. negat ma-
iorem: nam futura in seipsis, ac per species proprias non
posse videri censet. Primo: quia alias non adeo labora-
retur à Theologis in modo quo Deus ea in seipsis cog-
nosceret. Secundo: quia neque rei, vt existentis species
propria dari potest, necum vt futura. Et enim si rei exi-
stentis species propria daretur, etiam non existentem re-
præsentaret in actu primo, vt existentem. Posset enim re
existente sublata perseuerare: ergo species illa propria
non magis esset principium apprehensionis veræ, quam
falsa de suo obiecto: quod pugnat cum prædicato speci-
eici propriæ, quæ quæ ralis debet esse principium deter-
minatum veræ apprehensionis de suo obiecto: quo argu-
mento species propria futuri, & præteriti probatur im-
possibilis cum hoc rem existentem, qua existentem dicat.
Ac proinde concludit: existentis solius, & possibilitatis

præcisue sumptæ species proprias dari posse. Verum
contra rationem possibilis, qua talis species proprias,
quas naturaliter experimur esse ait: quin eius naturales
species proprias dari non posse ostendimus cert. 1. num.
6. atque, vt eius argumento contra ipsum vtar: quo pacto
tandem in conceptu proprio, & vero possibilitatis rerum
habendo laboratur à Philosophis, & Theologis si eius
solum species proprias rerum existentium, & præterita-
rum esse, quas & hominum, & Brutorum etiam memo-
ria quotidianis experimentis euicit.

2 Difficultas de modo quo Deus futura cognoscit, &
existentia ob specierum defectum, quæ ipsis cognoscen-
dis Deo ex vfu esse non posset, minime prohenit; sed
quod eadem scientia inuariata Dei permaneat in ratio-
ne repræsentationis, & cognitionis, vt ad solum Deum
terminatur, ac vt ad creata actu representanda extendi-
tur, siue tunc cum ex æternitate cognoscuntur a. sint, vt
otiosa Caietani ingenij subtilitas commenta est, siue non
adfit. Secundum argumentum nihil præstat: nam species
proprie naturaliter non nisi existente re, à cuius existen-
tia exactiue saltem, quandoque actu etiam pendet,
produciuntur: quare natura sua species propriæ rei exi-
stentis, eam quæ verè existit solum apprehendi existen-
tem facient: ac proinde & erunt natura sua verè appre-
hensionis principium, quod solum habet è conceptu suo
species propria. Cum autem res ablata est, & species perse-
serat eam non produciuntur qua non est existentem
repræsentat, sed pro qua fut, vt in memoria patet. Con-
cessa igitur maiori de secretis cordis neganda minor: de
futuris distinguendum pro duratione, qua nondum exi-
stunt fateor; absolute nego: quia pro duratione, qua exi-
stunt exigere possunt species eiusdem rationis: quare
cum siue, & ante eorum existentiam dantur secundum
modum solum supernaturales sunt, vt dicebamus cert. 2.
num. 6. docentque omnes vulgò Valq. 1. p. d. 200. & 208.
atque hic d. 5. 1. num. 5. Lugo d. 26. sect. 2. num. 33 non fati-
s consequenter ad suam doctrinam. An vero purè alicui
creaturæ futurorum anticipatæ species natura sua debere
posse? Valq. repugnantiam non agnoscit, Lugo assignat:
quod species & cognitio natura sua obiecti actualem
existentiam supponant.

3 Oppones secundo contra eandem conclusionem.
Potentia intellectiua spiritalis superior obiectis materia-
libus, & diuina creatis creata, & materialia spiritali, &
diuina cognitione cognoscunt, ergo principium super-
naturale superius poterit naturalia inferiora supernatu-
rali cognitione pertingere. Nego consequentiam: quia in
cognitione spiritali Angeli circa obiectum materiale inferius
est prædicatum spiritualitatis, ad quod Potentiæ
spiritalis à qua defumitur, existentiam habet; in cog-
nitione vero obiecti purè naturalis cum illi satis proportio-
nata sit potentia naturalis, nullum est è suo genere præ-
dicatum, quod ipsi, & obiecto adæquatè non respondeat:
quare nulla est in eo actu formalitas, aut prædicatum
ratione cuius habeat existentiam supernaturalem com-
principij: cum autem omnis dependentia ab alio com-
principio causæ notæ, quæ sit dependentia per se, supponat
indigentiam illius comprincipij in effectu ratione
prædicati, quod causæ ipsius notæ respondere nequeat,
fit, vt ad cognitionem obiecti naturalis, nequeat supponi
comprincipium supernaturale per se: quod si per acci-
dens supponi posse contendas, ostendi aliunde esse im-
possibile supponi ex parte potentie, & licet per accidens
supponatur non fore actum, seu cognitionem supernatu-
ralem, neque influxum supernaturalis illius comprincipij
formaliter supernaturalem, vt patet ex dictis cert. 2.
num. 3. & 4. quocirca nisi aliunde ostendas actum circa
obiectum purè naturale esse supernaturale, sicut è subie-
cto cui inest actus cognitionis Angelicæ, vel humanæ in-
tellectiue probare potest spiritualitatem, nusquam probabis
posse per se provenire à potentia supernaturali per
se, seu, vt supernaturali formaliter: id autem me iudice
probabis nunquam.

4 Obicit tertio Lugo supra sect. 5. nu. 72. S. Caterium
Christo Domino data fuit vnica species vniversalis pro
omnibus obiectis purè naturalibus, ac fortasse vnica eo-
rum

rum omnium cognitio ab specie illa proueniens: atqui vnica illa species, atque vnica omnium naturalium cognitio, neque effici, neque exigi ab obiectis purè naturalibus poterat: ergo tam species illa Christi, quam cognitio fuit per se infusa scientia. Admissa maiori, q. 3. examinanda, nego minorem, Omnia enim obiecta purè naturalia coniunctim, quidquid in ea specie erat exigebant; nempe virtutem sui omnium in actu primo representatiuam qua, vel coniuncta, vel partita æquè eorum exigentia satisfic: quare cum alterutro modo exigant, in alterius donatione eorum coniunctim exigentia naturalis non superatur. Sed esto supernaturalis quoad substantiam ea species vnica sit in ordine ad purè naturalium cognitionem materialiter se haberet, vt modo dicebamus: neque enim alio modo clariori, & perfectiori vnumquodque, vel omnia purè creata cognoscerentur vnica illa cognitione ab ea specie proueniens quam, si diuersis vnumquodque æquis claris, & perfectis innotesceret: quare neque ea cognitio illud supernaturale principium per se supponeret formaliter, qua tale posset enim à pluribus prouenire speciebus naturalibus; ac supernaturalitas identitatis tot formalitatum purè esset materialis in vtraque, vt exemplo concursus omnipotentia supra dato satis clarè monstratur. Licet enim eadem insectilis potentia Dei sit potentia ad omnia supernaturalia: quia ratione perfectionis quasi subiecti attributa omnia diuina è suo primario conceptu infinita esse debent: ac proinde concursus ad effectus naturales à potentia supernaturalium etiam sit, tamen naturalis est: quia ad eos materialiter potest ad supernaturalia se habere.

5 Oppones, vt probes contra communem supernaturalia saltem non esse necessario scientia per se infusa obiecta: quia obiecti supernaturalis potest dari species naturalis secundum substantiam: ergo visio supernaturalis secundum substantiam: consequentia videtur legitima ab specie ad cognitionem. Antecedens probatur: quia actus fidei, spei, & charitatis, qui supernaturales dubio procul sunt, memoriam habemus, quæ non nisi mediis speciebus eorum haberi potest. Negatur tamen absolute antecedens. Species enim illæ memoriæ actuum supernaturalium inferentes ab illis generantur, qui supernaturalia principia sunt: quare cum illos ad sui productionem exigant supernaturales ei sunt. Cum neque è natura exigantur. Secundo, vt daremus species illas confusas, ac non claras actuum supernaturalium naturales esse de claris erat negandum quæ Christo data sunt, ac proinde de intuitiua scientia, quam de supernaturalibus obiectis habuit. Instabis dantur ad actus virtutum moralium, quæ purè naturalis ordinis sunt, virtutes, seu habitus per se infusi, & supernaturales secundum substantiam: ergo potest dari principium supernaturale ad actus naturales: quare licet species ad visionem supernaturalium obiectorum per se infusa, ac supernaturales secundum substantiam sint, visio tamen naturalis poterit esse. Quod si dicas actus harum virtutum, vt ab eis habitibus proueniunt esse supernaturales: inferam contra alteram conclusionem circa obiecta purè naturalia posse dari actus supernaturales: siquidem obiecta virtutum moralium sunt purè naturalia. Respondetur habitus eiusmodi per se infusos ad virtutum purè moralium, & naturalium virtutum actus dari minime posse, nisi aliquid supernaturalis rationis, aut motiui ex parte obiecti adiungatur. Eadem enim contra hos ratio militat, atque contra actus, & habitus scientia: atque viderimus nisi vbi adest improprio potentia naturalis, & obiecti supernaturalis, ac proinde insufficientia ad actum circa illud, vt in actibus, & obiectis fidei, spei, & charitatis contingit, tam potentia intellectiua, quam volutiua habitus supernaturales, vt circa illa obiecta versentur, negandi æquè sunt. Instabis tandem. Potest dari cognitio supernaturalis, ad actum naturalem: ergo, & habitus, seu comprincipium supernaturale ad actum naturalem. Nego consequentiam, nam cognitio solum est conditio applicans potentiam obiecto, non autem principium influens in actum.



QVÆSTIO III.

De principio scientia per se infusa humanitatis Christi.



E potentia intellectiua humanitatis Christi cum solis Thomistis potest esse diffusum, qui putant habitus supernaturales esse rationem agendi; Eos autem contra, de actibus facultatis intellectiua, & volutiua abundè confutauimus. Solum ergo in examen nunc vocatur habitus supernaturales, phantasia, & species supernaturalium obiectorum circa quæ scientia per se infusa versatur.

CERTAMEN I.

Phantasia, & habitus ad hanc scientiam non influunt.

1 CVM hoc vitæ statu phantasmata, ac proinde phantasia ad nostros etiam supernaturales actus suo gradu concurrant. Idem de Christi scientia per se infusa quandiù apud nos viator exiit, censebat Durandus in 1. d. 14. q. 3. num. 7. dicendum tamen nobis est phantasmata non esse scientia per se infusa Christi principium. Ita 3. Th. 3. p. q. 11. art. 2. Caietan. & reliqui interpretes in Vasq. disp. 52. cap. 2. num. 10. Soar. disp. 25. sect. 3. §. 2. ergo secundo, ratione secunda conclusionis d. 1. 1. Lugo d. 20. l. 1. n. 5. & 7. Bernal. d. 35. l. 4. §. 3. & ceteri Doctores reliqui, supponitque Vvadingo semper. Probatur, quia modus intelligendi dependet à phantasmate, seu per conuersionem ad illud, tunc solum habet locum cum intellectus, vel phantasmate pro specie obiecti viator, vel per illud speciem recipit obiecti: atqui species per se infusa, nec phantasmata sunt, nec ab illa productæ, sed propriæ obiectorum à solo Deo indite: ergo scientia per se infusa non habetur per dependentiam, & conuersionem ad phantasmata. Quod autem Christus non solum fuerit viator, sed & comprehensor, sicut Beati: ac proinde conuersione ad phantasmata opus non habuerit, sicuti neque illi ad hanc scientiam firmum non est. Siquidem vt infra videbimus ratio illa comprehensoris, seu clare videntis Deum non exigit Christum à conuersione ad phantasmata ad intelligendum cum ad aliquam scientiam eiusmodi conuersione opus habuerit, quare nisi hæc ratio ad datam à nobis tandem reducat, nihil probat.

2 Scio Soarium, & Recentiores aliquos apud Bernal. proxime num. 103. modum alium conuersionis ad phantasmata intelligendum excogitasse, atque ex 8. Thom. putant, q. 11. art. 2. ad 3. vt scilicet, ex cognitione independentem à phantasmate habita cuiusmodi est per se infusa scientia, per species infusas phantasia ad idem ipsa sensibili modo concipiendum applicetur, atque eiusmodi obiecti phantasma simul producat. Et hoc quidem pacto aiunt Christum in scientia hac per se infusa potuisse ad phantasmata conuerti: atque hunc sensum modum conuersionis Christi ad phantasmata in scientia per se infusa multis in casum confutauit Bernal. ibi. cum posset paucioribus. Etenim admissa eiusmodi applicatiuone phantasia per scientiam infusam ad elicendum sensibilem modo phantasma de scientia illius obiecto potest contra Soarium, & recentiores ostendere posse scientiam per se infusam ab eiusmodi phantasmate non pendere, sed potius phantasma illud pendere à scientia per se infusa, quæ independentem ab illo habita ab his authoribus asseritur, & à qua per ipsos phantasma illud dependet: ac proinde non tam intellectum ad per se infusum

fusam scientiam habendam ad phantasma conuerti, quam phantasmam conuerti ad scientiam ad phantasma obiecti eiusdem fabricanda.

3 Circa supernaturalem habitum communiter à Theologis, præsertim non adeo recentibus, censetur ad scientiam per se infusam Christi ex parte principij requiri, vt supernaturalibus huius scientiæ obiectis proportionetur potentia intellectiua, quibus de se vtpotè naturalis improporionata est, atque ad versandum circa illa eleuatur id quod à paritate habituum fidei spei, & charitatis ex parte potentia ad earum virtutum actus eliciendos requisitorum satis putatus euinci, quos contradicendum nobis secundo est habitum supernaturalem ex parte principij ad scientiam per se infusam minime præcedere, ita expressè Valentia 3. p. q. 11. pun. 1. Valg. d. 54 c. 2. & affecte debentque ita docere, qui lumen gloriæ nihil aliud, quam claram Dei speciem esse docent, quin ex parte potentia supernaturalis alius habitus requiratur ad videndum Deum; eos cit. controuersia de beatitudine in hac sententiam inducit Valg. S. Thom. quæst. 11. art. 6. ad 3. vbi ait habitum scientiæ infusæ se habere ad reuelata, sicut lumen intellectus agentis ad intelligibilia, quod quidem quasi ex parte obiecti se tenet illius species ministrando, siue fabricando, non autem ex parte potentia, sicut habitus potentiam iuuant, vel complent. Eandem sententiam probabiliter censet Bartolomeus Medina 3. part. quæst. 11. citata, art. 5. eam etiam deducens ex S. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 2. ad 2. eamque sequi tenentur quotquot nobiscum controuers. de habitibus speciebus admittis acquisitis negant, cum vtrumque ex eodem principio proportionem seruata deducatur.

4 Ratio est facilis, quia ea solum ex parte causæ requiruntur ad effectum, quibus quidquid est in illo continetur: atqui in specie propria supernaturali obiecti supernaturalis, circa quod actus per se infusæ scientiæ versari debet, atque in potentia intellectiua continetur quidquid est in actu; seu effectu, qui est scientia per se infusa: ergo species, & potentia tantum requiruntur ad scientiam per se infusam ex parte causæ, quare habitus supernaturalis non requiritur, aut præcedit ex parte principij ad illam. Maiorem abundè probauit in physicis controuersia de causis d. de causa adæquata, vbi principium hoc Valquianum fuscè ostendit, atque à Petri Hurtado, & Recentiorum aliorum impugnationibus propugnauit. Minor est certa: quia in scientia per se infusa sunt prædicata actus vitalis repræsentationis supernaturalis talis obiecti: atqui hæc omnia continentur in hoc principio coniuncto è potentia vitali cognoscitiua, & specie supernaturali obiecti supernaturalis, vt patet. Illud de proportionem requisita inter potentiam, & obiectum si rectè intelligatur est verum: sed specie supernaturali in dita ponitur satis: solum enim est defectus virtutis in naturali potentia, vt circa obiectum supernaturale versetur suis actibus, qui circa tale obiectum supernaturales esse debent, ad quos edendos in naturali potentia virtus non est completa, & adæquata, posita vero specie supernaturali, vt in principio completur, neque alio modo eleuatur potentia naturalis ad effectus supernaturales edendos instantia de habitibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis ad harum virtutum actus requisitis non vrget: siquidem illis ablatis ad eos actus supernaturales nihil ex parte principij supernaturale est, nec satis est ad actus charitatis cognitionem supernaturalem fidei requiri: vt enim supra dicebamus cognitio in actus voluntatis non influit neque illorum est actuum principium.

CERTAMEN II.

Requiritur ex parte principij supernaturalis species ad hanc scientiam.

1 Dico tertio, species supernaturalis requiritur ad scientiam per se infusam de obiecto absenti. Probatur: quia intellectus est princip. in adæq. ad cuius obiecti cognitionem: ergo & ad cognitionem, seu scientiam per se infusam obiecti supernat. ergo compleri debet, vel obiecto ipso supernat. ali, vel eius specie supernaturali, si obiectum absit. Siquidem nisi adiuncto comprincipio supernat. principium adæquatum absolute supernaturale non erit, vt oportet ad actum supernaturalem per se infusæ scientiæ: atqui conclusio est de obiecto absenti, & quod de seipso nequeat concurrere ad sui cognitionem. Antecedens fuscè probatum à nobis est controu. de anima d. 1. vbi nostri Vvadingo solutiones discimus. Consequentia vtrique est certa: quin ne Vvadingo ipse negare ausus est in obiecti absentia species effectiue concurrere ad ipsius cognitionem, licet actuum concursum ad illam præsentem denegat obiecto: qua consequentia viderit ipse. Nos enim in vtroque in consequentiam apertam vidimus loco citato. iam monui nos in præsentem de scientia infusa, quæ fidei non sit, atque ob reuelationem diuinam non agere, sed quæ sit visionis, ad fidem enim supernaturales species non requiruntur, vt patet.

2 Grauior sanè difficultas est, an præsentem tempore, & loco supernaturali obiecto (à coniunctione enim locali ad passum sola agentia spiritalia rationabilia, ac libera absoluebamur ad agendum controu. 6. de causis d. 1. q. 4. secus spiritalia etiam non rationalia, quibus adeo perfectus operandi modus non debetur) species supernaturalis ipsius ex parte principij ad scientiam per se infusam requiratur? Dicendum est quarto: requiri species ad scientiam per se infusam Christi de obiectis etiam præsentibus. Probatur: quia spiritalia obiecta, cuiusmodi sunt ferè omnia obiecta per se infusæ scientiæ, siue naturalis, siue supernaturalis ordinis seipsis influxiua non sunt in sui cognitionem: ergo licet adsint species, quibus compleatur potentia ad illam opus erit, vt cognoscantur: Consequentia est legitima. Probatur antecedens ab experientia. Anima enim ipsa præsens cuique adest, & coniuncta potentia intellectiua: item habitus gratiæ animæ iusti, eiusque intellectui est etiam coniunctus, ac præsens, & tamen non videntur: alioqui iustus quiuis certus sine Dei reuelatione de sua iustificatione esse posset: ergo quia seipsis obiecta spiritalia, neque influxiua sunt in sui cognitionem, siue naturalia, siue supernaturalia sint, nec pro hoc statu eorum species animæ vnità debentur; quibus solum cognosci sine miraculo potest. Dices species obiectorum generatim substituta esse: substitutum autem in naturalibus, nequit esse præsentem principali, cui substituit: cum natura abhorreat superfluum, sed tamen in naturalibus, si principale actuum non sit vt experientis illis ostenditur potest sine superfluitate substitutum actuum habere etiam cum adest.

3 Sed dices falsum esse antecedens, neque satis experientis illis suaderi: etenim licet anima, & gratia seipsis influxiua sint in sui cognitionem, tamen, quominus clarè videantur, ac percipiuntur, prouenit ex impedimento animæ ratione vnionis ad corpus, & status huius vitæ, ex quibus habet non nisi crassiori modo, & corporeo, etiam spiritalia, & incorporea percipere: qua nec sine conuersione ad phantasmata potest intelligere: ac proinde omnia quando in hac vita est, etiam spiritalia, & insensibilia, debet sensibilem adinstar cogitare id quod eueniret, etsi species propria adestent, vt patet in memoria cognitionum spiritalium, quæ præterierunt: earum quippè species sunt in intellectu, & tamen

tamen eas non nisi corporeorum adinstar recordamur; & confirmatur: nam obiecti presentis, nec aliter quam per species cognoscibilis, species proprie debentur potentiae: ergo animae debentur nobis species propriae, & gratiae inditae ipsis iustorum animis, etiam debentur. Cur ergo nec nos animam nostram videmus, nec suam iustus gratiam? non ne ex crasso, & corporeo modo intelligendi, quem anima in hoc statu habet: ergo licet influxiua sint in sui cognitionem anima, & gratia ac reliqua spiritualia dona, quae iustus habet, ex crasso modo, & corporeo cognoscendi, & intelligendi, quem pro hoc statu habemus proueniet. Confirmatur secundum: quia, & si dicamus non dari pro hoc statu species proprias animae, & gratiae, non alia causa erit, quam status huius impedimentum: quod ipsum dici a qua probabilitate potest de negatione influxus earum in sui cognitionem pro hoc statu. Cum ergo Christi anima vnionis, ac visionis Dei titulo à legibus crassi huius corporei modi cognoscendi, etiam pro hoc statu absolutus fuerit obiecta praesentia seipsis sine specierum interuentu in scientiam per se insulam Christi influxisse probabilius est.

4 Hæc dum pro opposita conclusione cogitabam adeo me in illam impellebant, ut tantum non induxerint. Vidi enim tandem animam gratiam, & supernaturalia, ac spiritualia dona à nobis pro hoc statu non videri alterutrumque posse prouenire: vel ex impedimento status, & crasso modo nostro intelligendi pro eo, vel quia obiecta spiritualia, siue naturalia, siue supernaturalia de se influxiua non sint in sui intellectionem, atque pro hac parte maioris rationis momenta adiuueni tandem. Primo enim illud de crasso modo intelligendi animae nostrae ex concretionem cum corpore nimis crassus modus discutendi visus mihi est. etenim crassus ille modus cognoscendi omnia corporeorum adinstar, est necessitas conuersionis ad phantasmata, quae tota est ob specierum propriarum de obiectis defectum, cui species sentata, & phantasmata pro hoc statu succurrunt: quare, si species propriae, vel aliquid ex parte obiecti influxiua ad claram sui cognitionem adit, nulla omnino erit ad phantasmata conuersio, nec crassus ille modus omnia corporeo modo intelligendi. Id quod probatur ex communi omnium philosophorum sensu, qui ut necessitatem hanc conuersionis intellectus ad phantasmata ad intelligendum adstruant, in primis contra Platonem probant proprias rerum species animo ante immersionem in corpus inditas non fuisse: quia nisi eo errore disiecto necessitate conuersionis ad phantasmata probari non posse merito censent: siquidem admisso principio proprio adequato cognitionis rerum, & ex parte potentiae, & obiecti opus ea conuersione minime erit: ergo si adest obiectum seipso influxiua in sui cognitionem nempe anima, & gratia, ac reliqua spiritualia non crasso illo, & corporeo modo per conuersionem ad phantasmata, sed clare, & proprie videbuntur contra experientiam. Accedit: quod si anima, & gratia influxiua in sui cognitionem essent saltem corporeo modo illas cognosceremus, & apprehenderemus cum ad sunt: quia ad phantasmata conuerteremur, sicut, & cognitiones nostras corporeo modo apprehendimus, quia earum habemus species, licet non admodum proprias: unde, & certi de eorum existentia esse possemus, sicut de nostrarum cognitionum existentia certi sumus, quod in gratia est contra Tridentinum: & vtraque contra experientiam: etenim animae, & gratiae existentiam solo discursu assequimur.

5 Atque hinc disiectum manet illud, quod de nostrarum intellectione non memoria dicebatur, neque enim illarum species propriae ad sunt, atque asseruantur, sed obscurè, ac dependenter à phantasmatibus productae; sicut & intellectiones istae habitae fuerunt, vel non intellectionum, sed phantasmatum, quae simul habitae à nobis sunt recordamur: de quo suo loco controuersia de actibus intellectus. Illud tandem de speciebus animae debitis cum de seipsa, tum de gratia, & donis supernaturalibus, ac prouidetur, & adesse debent quin tamen cognoscantur minus videtur: Etenim non adesse eiusmodi species adhuc im-

proprias nuper ostendebam, unde colligo, neque pro hoc statu, siue ex natura rei, siue ex Dei lege debent animae esse, sed solum species sentatas, ac ministerio sensuum paratas, proprias autem rerum insensibilium animae, vel separatae, vel si corpori coniunctae, solum à beatitudinis privilegio debent. Et quidem hæc omnia satis suadent obiecta spiritualia per se influxiua non esse in sui cognitionem, ut in illo antecedenti nostrae probationis assuebat, quod rursus probatur, quia obiecta nobiliora ex sensibilibus, ut lux, & color seipsis in sui sensationem non influunt, sed specierum interuentu, ut controuersia de speciebus pluribus euincimus: cum tamen imperfectiora sensibilia seipsis non speciebus interiectis sentiantur: quare speciebus ad sui cognitionem egere ad obiecti nobilitatem spectare reor: ergo cum spiritualia nobilissima sint, ea seipsis in sui cognitionem influxiua non erunt. Confirmatur: quia Deus non seipso sed media sui specie, ut melior, & maior bonæ Theologiae docet ad sui cognitionem influunt in Christi Domini, & beatorum mentibus, quibus tamen seipso presentibus est: ergo, quia saltem conaturalius est spiritualibus nobilissimis obiectis speciebus mediis ad sui cognitionem concurrere etiam cum mentibus adiuuant.

CERTAMEN III.

De huius speciei physica entitate.

1 Circa physicam speciei huius Christo ad scientiam per se insulam inferuentis entitatem duo solum occurrunt vestiganda. Primum de eius vniuersalitate (quam speciebus possibilem controuersia de speciebus ostendimus (an fuerit illi quam Angelicis speciebus maior videtur negasse S. Th. q. 11. art. 6. ad 1. ubi Caiet. & Thomistæ, & Lugo d. 20. sect. 5. num. 63. nisi infinita per scientiam insulam Christus nouerit: tunc enim vnicam pro infinitis omnibus fore ait ne deatur actus speciei infinitae, sed cum in eo casu habitus, & cognosciones infinitas fore admittat ipse cur adeo fastidit in speciebus infinitate? Dicendum tamen est speciem animae Christi Angelicis fuisse vniuersaliores ita Scot. in 3. d. 14. q. 4. cum Iuis Vasq. d. 54. n. 14. à §. Contra veto Scotus, & præcipue sub capitis finem. Soar. d. 29. sectione 1. conclusionem 2. Marat. d. 27. & DD. citandi pro concl. leg. Probatur faciliè: quia atenta dignitate vnionis hypostaticae perfectiores Angelicis species debentur animae Christi: sunt autem vniuersaliores perfectiores. Confirmatur: quia eo titulo attento perfectior, & vniuersalior scientia per se insula animae Christi, quam Angelica dicitur est. Ex quo arguo secundo: quia cum anima Christi entitativè imperfectior natura Angelica sit maior perfectio scientiae per se insulae Christo, quam Angelicae in exactum perfectionis specierum refundi modo potest. Dico hoc probare perfectiones fuisse species Christi, quoad actiuitatem, non quoad vniuersalitatem. Sed contra quia dignitas vnionis, cuius tantum titulo, & perfectior cognitio, & species in actiuitate data est, non satis compensatur, siue exhauretur donatione speciei perfectioris in actiuitate: ergo, & recipit eo ipso titulo perfectioris in maiori vniuersalitate.

2 An vero eo usque vniuersalitatis species huiusmodi Christi peruenerit, ut vnica pro omnibus scientiis per se insulae obiectis fuerit: negat Vasq. numero 13. §. Mihi tamen. Soar. sect. 1. & reliqui citati contra præcedentem conclusionem. Probant ex communi sententia, & consensu Theologorum, quod non nimis iam verget, & constabit ex opposita conclusionem, & eius Doctoribus. Secundo: quia cum in obiectis scientiae per se insulae naturalia plura, & supernaturalia continentur, non videtur eorum omnium speciem eandem esse posse. Minus verget: tum quia naturalia ab obiecto scientiae per se insulae relegauimus: cum etiam quia non est maior difficultas in vniuersalitate speciei circa plura obiecta vniuersalitate.

utriusque ordinis, quam circa plura, aut eodem ordinis solum alterius. Tertio: quia licet ea sit species perfectior, & possibilis. Fuit tamen possibilis species diuisa, seu plures, ac non vnica: ergo, vt illa in ipso asseratur, determinatè de facto de Dei decreto illius potius quam alterius constare debet, ex Patrum vel Theologorum saltem consensu communi, qui potius est pro pluralitate specierum, quam pro vnitatem. Hoc argumentum conuertet probatio nostræ conclusionis. Quarto demum Soar. arguit: quia scientia beata, etsi perfectior sit scientia per se infusa, tamen neque ipsa, neque eius species simplex, & vnica est: ergo multo minus species scientiæ per se infusæ simplex, & vnica erit. Primò antecedens est falsum. Secundò consequentia non tenet: nam scientia beata ex obiecto nobilior euaderet, licet non haberet vnitatem, quam scientia saltem aliqua possibilis per se haberet: cum in scientia per se infusa vnitatem per se non repugnet: ac denique Soarius ipse scientiam per se infusam Christi simplicem qualitatem esse ait contra hanc, quæ nobis in specie opponit, consequentiam.

3. Dico secundo: species per se infusæ scientiæ vnica & simplicissima fuit pro obiectis omnibus ita Marfil. in 3. quæstione 10. articulo 2. parte 3. Bernal. supra sectione 3. §. 2. numero 75. ac Recentiores plures memorat à Lugo supra numero 62. in eamque facilis veniret Vvadingo statim citandus. Probat facile: quia quicquid perfectionis possibilis incommodo vacat Christo titulo vniuersi hypostaticæ est à Deo concessa à nobisque in ipso asserenda; atqui species huius vnitatis maior est perfectio, atque incommodo vacat: ergo, & concessa ipsi à Deo fuit, & est à nobis in Christo asserenda. Minor est certa. Nam eius vnitatis possibilitatem vel ipsi aduersarij expressè fatentur: incommodum autem non assignant, neque ex scriptura, neque ex Patribus, neque ex munere Redemptoris, ratione cuius perfectiones aliquot Christi humanitati denegatæ sunt. Maior est in hac materia principium, seu dignitas Theologica, ex qua plura aduersarij ipsi, nosque, & deduximus, & deducemus Christi humanitati gloriosa: quod nisi statim, firmumque persistat: corrumpat necesse sit: atque in re præsentis Soarius ipse, tam habitum quam actum scientiæ per se infusæ Christi Domini simplices qualitates physicas esse defendit. Præstaret igitur in specie etiam impressa, in qua non alia difficultas est, sed eadem, consequentiam vnitatis, & simplicitatis tenere.

4. Dubitari secundo potest, an species scientiæ per se infusæ Christi eadem sit cum specie impressa Dei, seu, (quod idem apud nos est) cum lumine gloriæ. Possibilitatem identitatis speciei vtrinque fatentur omnes. Vvadingo dub. 8. de facto habitus huius scientiæ, & luminis gloriæ diuerses asserit concl. 1. idem dicturus de speciebus, si eas admitteret; conclusionem tamen 2. ita probat identitatis vtriusque habitus possibilitatem, vt de facto eam euincat quæ nimirum potentia eo, quo potens, ac proportionata constituitur ad videndam causam, potens, proportionataque est ad videndum effectum: at per ipsum lumine gloriæ potens, proportionataque est anima Christi ad videndum Deum omnipotentem omnium creatorum causam: ergo, & ad videndum per scientiam infusam creata obiecta supernaturalia: ergo de facto superfluit habitus scientiæ per se infusæ à lumine gloriæ diuersus. Cæterum antecedens adhuc ex parte potentia vniuersum est falsum, in specie vero falsissimum, vt patet. Ego igitur quæstionem de facto dirimere non ausim: quia nullum inuenio pro alterutra parte fundamentum firmum. Nam, etsi Christus visionem beatam fuerit in primo sui instanti promeritus potuit eam promereri ex actibus virtutum moralium, ad quos solum infusa per accidens scientia præcedat, ac proinde non species scientiæ per se infusæ, nec lumen ipsi identificatum. Secundo, licet actu virtutis supernaturalis, ad quam scientia per se infusa, eiusque species luminis identificata præcederet, potuit mereri conuersum ad visionem Dei pro

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

priori naturæ suspensum, vt locus merito visionis Dei daretur: quare ratione maioris perfectionis debita humanitati Christi pro vtriusque vnitatem esto.

CERTAMEN IV.

De huius speciei vsu.

1. Circa huius speciei vsum plura cursum examinanda sunt. Primum an fuerit Christo liber ad aliqua, vel omnia huius scientiæ obiecta cognoscenda? Affirmandumque est cum communi, & probatur à simili de Angelis, & animabus separatis, quæ specierum liberum vsum habent: quæ proinde perfectio Christo potius concedenda est: cui nec defuit cognitio præuia ad eiusmodi electionem cum ex specie illa obiecta singula, & omnia discursu assequeretur. Solum liber non est in ipsius speciei cognitione prima, ad quam nulla alia prænotio præcessit: nisi forte illam ex reuelatione potius, quam in seipsa nouerit: qua in re nihil magni sumptus inuenio, neque incommodi alius: fidei enim actus in Christi humanitate q. 5. ostendam.

2. Secundum: an fuerit liber vt ea specie vtens ad phantasma simul in scientia per se infusa elicienda conuerteretur. S. Thom. affirmasse, quæstione 11. articulo 2. nonnullis videtur: sed malè. Solum enim ait sensus in Christo otiosos, frustra ob scientiam infusam non fuisse; quia per eos tunc obiecta sensibilia scilicet, ac ipsis proportionata cognoscebat. Vnde malè etiam ex loco Soarez disputatione 28. sectione 1. docet cum aliis improprie in huius speciei vsu ad phantasmata Christum fuisse conuersum eo modo conuersionis, quem ex Soario referebamus, ac refellebamus cert. 1. n. 2. vbi ostendimus eam neque improprie dici posse conuersionem ad phantasma. Secundo: infertur eodem modo dici posse Beatos, & Christum vsu luminis gloriæ ad phantasma conuerti. Deinde conuersio illa in vsu speciei circa omnia obiecta per se infusæ scientiæ locum æquè habet, cum ab his asseratur circa aliqua tantum, vt benè obseruat Bernal. disputatione 35. sectione 4. paragrapho 3. numero 107. & 108. cum quo melius responderetur præsentis dubio negatiue ex Valquez citato, & Lugo sect. 6. num 75.


3. Dubitatur tertio: An omnia obiecta huius scientiæ simul, ac semel vnico actu Christus cognouerit? Affirmant quoddam vtrumque Marfil. in 3. quæstione decima, articulo secundo. Soar. memoratus certamine tertio, numero secundo, sine. Bernal. disputatione trigesima quinta, sectione quarta; Valquez vero dispo. 52. cap. 2. sine Lugo disp. 20. num. 67. cognosce simul omnia à Christo aiunt, non autem vnico actu: consequenter ad ea, quæ de specierum huius scientiæ pluralitate docuerunt, quorum conclusioni, sed aliis rationibus acquiesco. Ratio nostra est; quia vt docuimus quæstione prima, certamine tertio, à numero 2. scientiam ipsam infusam per se directam aliorum obiectorum vidit Christus, vt de tanto dono, & gauderet, ac Deo gratias ageret: non autem eodem actu directo, quem supra seipsum reflectere repugnat: ergo alio actu supernaturalis, ac per se infusæ scientiæ. Duplicem ergo actum per se infusæ scientiæ in Christo admittimus. inde facile quartum dubium potest expediri, an actus visionis beatæ re ipsa ab actu vtroque per se infusæ scientiæ diuersus fuerit in Christo? Et quidem si actu regulato per scientiam infusam Christus visionem Dei promeruit, de quo controu. de merito, cum hanc illa natura antecierit, non potuit non ab illa visio differre. Sin autem non meruit res puræ diuinationis videtur quæstionis de facto resolutio, cum sit vtrumque possibile. Sed tamen in eo casu standum pro vnitatem vtriusque erit, in qua maior est perfectio titulo vniuersi humanitati Christi etiam debita,

vt de vnitare speciei infusæ dicebam certamine 3. num. 4. sine.

4 Dubitatur quintò de certitudine, eiusque gradu scientiæ huius per se infusæ certitudinem eius agnoscunt omnes, ex quibus aliqui, quia supernaturalis actus est, cui falsitas repugnat, ac proinde probabilitas cum falsitatis periculo: impugnat Lugo, quia licet non ex motiuo: at ex potentia infirmitate poterat esse formidolosus assensus: sicut voluntatis infirmitate amor supernaturalis inefficax, ac sicut Salas 1. 2. tom. 1. tractatu 11. ad 3. numero 34. atque ex ipso alij docent virtutem prudentiæ posse habere actum probabilem, licet non falsum. Melius impugnetur actu fidei, qui ex obiecto certus est: nec tamen ex subiecto æquam habet certitudinem, & quæ tentationes non patitur; Sed tamen licet hæc ita sint, ac præterea repugnantiam non inueniam falsitatis cum supernaturalitate actus: cum non repugnet Deum authorem specialem effectiuum erroris esse, licet repugnet authorem esse assertiuum illius, tamen hæc in scientia per se infusæ Christi locum non habent. Etenim assensus formido ex infirmitate potentia vnitatem humanitatem dedecet valde. Secundo in clara visione rerum certitudo physica adest, qua formido physica abigatur: Metaphysica autem adfuit in hac visione per se infusæ Christi: cum Deus humanitati sibi vnitæ errorem, aut species rerum existentium pro tempore, quo non existebant infundere, sine sui indecentia non possit. Quare huius scientiæ per se infusæ Christi certitudo valde aliarum creaturarum visionum certitudini excessit: cum in naturis sibi non vnitæ, & errorem eius infundere, & species rerum pro tempore, quo non existunt producere, & conseruare pro libito possit.

5 Sexto dubitatur, an Christus per hanc scientiam compulerit assensu, dissensuque diuiserit? quod si de compositione, & diuisione ex parte obiecti sumpta, sit sermo, in meis principiis, qui præcisiones formalitatum ex parte obiecti per actus intellectus, etiam intuitiuos, admitto composuisse, ac diuisisse certissimum est. Si autem de compositione, aut diuisione formalitatum scientiæ, quorum alter supponatur, vt apprehensio prædicati, alter subiecti, ad actum assensus, seu compositionis, & dissensus, seu diuisionis; affirmat Bernal. disputatione trigesima-quinta, sectione quarta, paragrapho tertio. Sed in consequenter ad suam doctrinam de vnitare actus huius scientiæ circa obiecta omnia: etenim si vnicus actus est circa omnia, nequit prius natura vnum alio cognoscere, vt posterius natura assentiat, vel dissentiat, quin idem actus sibi ipsi natura præcedat, quod repugnat; quare, & eo sensu Christum scientia per se infusæ componere, vel diuidere.

6 Septimo tandem dubitatur, an Christus scientia hac per se infusæ discurrat, & formaliter quidem discursiuam non esse patet: quia visio est sui obiecti. An vero possit ex vno obiecto in aliud scientiæ huius Christus discurrere per illam quidem est impossibile; cum sibi ipsi nequeat natura præcedere, vt opus ad discursum erat: nec possit discursiuam circa eadem obiecta esse, quæ visio, ac non discursus formaliter est. Cum autem dixerimus duplicem esse actum scientiæ per se infusæ Christi alium directum, alium reflexum rogabis: an saltem per alium actum discursus possit Christus discurrere ex vnus obiecto in obiectum alterius, & negandum est, etsi vtriusque adesset connexio ob rationem dandam, quæ sectione quarta.



QVÆSTIO IV.

De scientia infusa per accidens humanitatis Christi.

DVplex scientia per accidens infusæ examinandum hic est circa obiecta eadem naturalia. Alterum scientiæ claræ, & eorum vt in se sunt, qualem Angeli, & anima preparata de illis sortiuntur alterum scientiæ habitæ per obscuriores species iis, quas ministerio sensuum habemus, omnino similes, cuiusmodi fuit scientia infusa Adamo, Salomoni, aliisque, vt suspicor scientiam principibus, & inuentoribus: puta Aristoteli. De his duabus per accidens infusis scientiis minus distinctè, & quasi de eadem loquentes Valquez, Soares, Lugo atque alij confusionem legentibus peperere, quam nos vitemus vtrumque seorsim examinabimus.

CERTAMEN I.

De scientia clara naturalium obiectorum per accidens infusa Christo.

1 **V**alquez disputatione 55. Soarium videtur reprehendere quod hanc claram naturalium obiectorum per accidens infusam scientiam Christo concedat. Lugo disputatione vigesima prima, & disputatione vigesima, ad per se infusam reuocare videtur. Bernal. qui res distinctius proponens eam concedit per se infusam scientiam in tituli etiam fronte non sine vocis abulsa appellabit. Ea omnibus vt dicebam fuit in huius scientiæ examine confusio. Nos autem claram hanc naturalium obiectorum per accidens infusam scientiam claræ, ac distinctè fatemur. Probatum facile: quia cum ratione vnitatis, cum visionis beatæ iure quicquid animabus separatis Angelis ac beatis, eoque amplius humanitati Christi debebatur, nihilque in eius donatione incommode apparet; atque illis debentur, donanturque plurimum naturalium obiectorum, & species, & scientia: ergo longè plurimum alterutro titulo, humanitati Christi, & debentur, & donantur. Quod autem tam eorum obiectorum species, quam scientia non sint per se, sed per accidens solum infusæ satis claret, cum supra naturæ exigentiam non sint; Sed solum hic, & vnitatis exigentia vnitatis, & visionis humanitatis abesse non deberentur iuxta dicta quæstione secunda, de scientia, & speciebus futurorum, & secretorum cordis Christi datis.

2 Constant inde plura contra Bernalem, disputatione citata. Primum obiectum scientiæ huius Christi latius patere obiectis similibus scientiæ animæ separatis Angelorum, ac beatorum. Siquidem ad eam extensionem dignitas vnitatis, ac vniuersalis redemptionis, & iudicis munus perfectioris insuper visionis Dei prerogatiua necessario attendenda est. Secundo contra huius scientiæ eliciendæ vniuersaliores species, quam animabus separatis, Angelis, ac Beatis concessit, concedendâque, Christo datas fuisse: imo vnitatis pro obiectis scientiæ huius omnibus: vt ratione dignitatis vnitatis pro vnitare speciei per se infusæ quæstione tertia, discurrebamus. Tertio constat Christum à primo conceptionis initio simul omnia scientiæ huius obiecta vidisse: nec simul eorum, sed vnicuique scientiæ huius actu (si ipsummet actum accipias, qui non seipso, sed alio scientiæ eiusdem actu reflexo videtur: iuxta dicta in simili de aliis per

per se infusæ scientiæ) id enim vnionis dignitas suopte iure reposita. Plura denique, quæ de huius scientiæ habitu disputat in casum Bernal. mittenda à nobis sunt, qui nullos habitus naturales ab speciebus, & cognitionibus siue in intellectu, siue in voluntate recognoscimus, imo nec supernaturales præterea tres virtutum Theologicalium fidei, spei, & charitatis; Nec si naturales habitus admitteteremus ad scientiam claram, & per proprias species habitam admittendi forent cum nulla in eius actibus possit esse intellectu difficultas, quam in actibus obscure elicendis deprehendimus.

3 De huius scientiæ certitudine, compositione, ac diuisione, & discursu eodem modo philosophandum est, ac de eis in scientia per se infusa nuper philosophabamur. Restat rationem impossibilitatis discurrendi licet alia scientia, ex actu ex vno obiecto scientiæ per se infusæ in aliud quam huc remissum exhibere. est enim eadem pro impossibilitate discurrendi ex vno obiecto claræ viso, in aliud clarè etiam visum à Christo quantumque scientia videantur. Duas autem, quo melius fidem liberem præstabo, quarum secundam, quasi à nobis in aurem infusuram dedit Cardinalis de Lugo d. 22. sect. 3. & t. de fide. Prima ratio à priori fit, quæ adstante motiuo omni ex parte superiore è genere suo ad assensum veritatis nequit mouere motiuum è genere suo inferius ad assensum veritatis eiusdem: atqui ad assensum circa obiecta, quæ Christus, siue per scientiam per se, vel per accidens infusam, siue per beatam clarè videt, adest ipsi motiuum omni ex parte superioris è genere suo motiuo discursus ad assensum circa eadem, ergo nequit hoc motiuum discursus mouere Christum ad assensum circa eademmet obiecta, quæ aliqua ex his scientiis claræ, & in se videt. Maior mihi, & nostro Vasquez certa est, & cui ipse solum fidet, vt fidem cum clara obiecti visione, & cognitione iudicet impossibilem, atque ferè est ex terminis nota, lateque à nobis probata controuersis de scientia Dei, & de fide. Minor est certa quia, vt de scientiæ per se infusæ certitudine dicebamus, creatis omnibus certitudine physica, & metaphysica quæuis clara Christi scientia longè est certior: rem est quæuis euidentia discursiva clarior: ergo omni ex parte, siue claritatis, siue certitudinis perfectius motiuum affert, perfectiusque è genere suo mouet, quam motiuum discursus.

4 Secunda nostra ratio, quam Typis præuenit Lugo est, quia voluntas nequit vi electione mediæ ad finem, quem perfectè possidet, alius electura: ergo neque intellectus vi potest medio ad cognitionem veritatis quam perfectissimè summa claritate in seipsa per visionem deprehendit, ac possidet. Dices supernaturaliter saltem vi potest voluntas electione mediæ ad finem perfectè possessum: ergo etiam intellectus supernaturaliter vi poterit medio ad cognitionem, & assensum veritatis, quam clarè videt. In primis data consequentia habebitur de facto Christum in eis obiectis, neque discursisse, neque naturaliter discurrere potuisse. Neque enim vanè, ac sine fructu miraculum illud admittendum in Christo est, vt bene Lugo aiebat. Secundo falsum prorsus est antecedens. Siquidem de bono possesso desiderium esse non potest vllum, sed gaudium solum; aut electio sine intentione, ac desiderio finis prorsus est impossibilis. Dices etiam possessio sine possessum naturaliter media apponere, quia gloriosius iucundiusque nobis esse potest illum per id etiam medium obtinere, v. g. per merita nostra tanquam media, quam sine illis illum obtinere. Sed iam alium finem adiungis ante eam electionem non possessum: nempe iucunditatem, & gloriam habendi illum finem per eundemque media: quare non improbas rationem nostram, ac intencum probas. In casu autem nostro eadem veritas perfectissimè possessa, & deprehensa aliisignobilioribus modis, atque imperfectioribus obtinenda esse. Sed instabis: melius etiam est mediis pluribus veritatem eandem euidenter, ac certo cognoscere, vt patet in eo, qui pluribus demonstrationibus à priori, & à posteriori eandem veritatem, & conclusionem nouit: ergo, idem obiectum clarè

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

visum ac certo demonstratiuè etiam cognoscere perfectius erit. Distinguo antecedens: pluribus modis in quibus alius sit omni ex parte, atque è genere suo perfectior nego; etenim iis, quæ video, vel demonstro ob medium, vel testimonium fallibile assentiri nequeo, æque perfectionis ex genere probat instantia, sed non est contra nos.

5 Ex hac nostra (& sua ratione postrema infert Lugo citatus fidem diuinam cum obiecti perfecta visione esse non posse adhuc diuinitus: Vasquez vero id ipsum ex ratione prima deducit. Nos autem visionem perfectam, & fidem diuinam eiusdem obiecti non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter iudicamus compossibilem vt latè ostendimus controu. de fide, & non nimis curtè quæstione 5. docebimus: quia motiuum fidei non superat omni ex parte motiuum visionis, à quo in claritate superatur, licet hoc in certitudine superetur ab illo, quare alterum alteri viam motiuam expeditam relinquat: quare sicut iis, quæ credimus, demonstrabiliaque sunt, possumus per demonstrationem assentiri, quin fidelis doctior, qui Dei vnitatem demonstratiuè nouit, fidem actualem vnitatis Dei amicitia in fidei assensu circa ea, quæ videntur contingit ob rationem datam, quæ eadem vtrobiusque est, & in clara visione fortior.

CERTAMEN II.

Scientia obscura similis nostra per accidens infusa Christi humanitati minimè adsuit.

1 Sanctus Thomas quæstione 20. de verit. articulo 3. ad 1. & in 3. disputatione 14. quæstione 1. articulo 3. ad 3. & 5. Richard. quæstione 2. Paludan. ibi sine. Soar. disput. 30. sectione 1. Bernal. d. 37. sectione 1. s. 1. eam scientiam à primo conceptionis suæ instanti Christo concedunt. Lugo disputat. 22. sect. 1. non nisi in adultæ atate propt phantasie organa in eo disponebantur. Eam siquidem nostræ, non in obscurioribus, per quæ à Christo habita est speciebus, sed in productione ipsius scientiæ per conuersionem ad phantasmata, ac proinde dependenter à phantasia, similem etiam nostræ iudicauit: quare licet species tunc essent, secus cognitio quouisque organa disponeretur, sicut nec fuit in eo locutus, & deambulatio, quouisque organa, ac membra earum disposita fuere. Hanc doctrinam multis impugnat Bernal. in casum tamen, quia Lugo rationem non tangunt. Primo: quia ante organorum dispositionem virtutes morales admittit Lugo. Si de habitibus loquatur negat expressè Lugo habitus virtutum moralium ab speciebus, & cognitionibus diuersos, vt ipse Bernal. fatetur. Nec si eos admitteret ab instanti conceptionis in Christo teneret consequentia ex illis ad scientiam, sed ad species illius, quas concedit, si loquatur de actibus virtutum moralium cum hi à scientia per accidens infusa clara, de qua cert. 1. regulari poterint, non infertur scientiæ obscuræ huius actus per conuersionem ad phantasmata elicitus pro eo instanti. Impugnat secundo: quia Adamo huiusmodi scientia data est ab instanti primo; sed licet phantasie organa disposita tunc Adamo habuisse, secus in sui conceptione Christum. Tertio recurrit ad scientiæ Christianorum 12. cum legis DD. in templo docebat. Sed dicit Lugo tunc habuisse phantasie organa disposita, quod naturaliter in fieri in pueris aliis vidimus aliquoties: vel supernaturaliter, vt in Christo multis de causis potuit euenire. Denique totus est Bernal. in ostendendo nihil imperfectionis, imo perfectionis plurimum esse si Christo à conceptione ea scientia concedatur, sibi que multa responderet, quæ facillè impugnet. Non autem tangit fundamentum aduersarij quæ refellit de necessitate conuersionis ad phantasmata in vtu specierum obscuriorium nostris similibus: quod vnice quassandum erat, vt eius opinio euerteretur. Sed iam vtrumque à suis fundamentis impugno.

2 Dico primo contra Doctores citatos: Scientia obscura nostre similis per accidens infusa Christo nunquam adfuit ita S. Thom. priorem sententiam aduersariis fatentibus retractans 3.p. q.9. art. 4. ubi rem ex instituto disputauit. Caietan. & Thomista, atque alij interpretes, Valent. 9. punct. 1. Capreol. in 3.d.14. q. vnic. art. 1. concl. 2. & a.3. ad 1. contra. 2. conclus. sine Vasquez d.55. c.2. Marat. d.30. ac plures alij ex nostris Recentiores. Probant ex Vasquez plures. Etenim cum scientiam aliquorum obiectorum huic similem acquisierit inferitur, si circa hæc scientiam per accidens infusam habuerit habuisse duo accidentia solo numero diuersa; si autem non habuerit in scientia eiusdem rationis profecisse cum illa acquisitè nouit. Sed parum habet momenti probatio, vt ex q.6. constabit. Solida probatio fit: quia scientia eiusmodi, & obscura est, & res aliter quam sint ex parte modi cognoscendi representans, quæ imperfectio humanitatem unitam hypotheticè videtur dedecere, vel saltem minus decere ubi vel absolute, vel ad redemptionem per doctrinam, & passionem suam opus illa Christus non habuit: atqui opus ad hæc Christus non habuit; ergo utpotè quid minus ipsum decens releganda à Christo est. Minor probatur: quia illa absolute opus non habuit; cum eadem obiecta scientia alia per accidens infusa, clara & speciebus eorum propriis, atque in se sunt perfectissime cognoscebat: neque ad doctrinam necessaria fuit: cum eadem veritates naturales ex illa clara scientia per similitudines, atque aliorum ad instar, quæ eadem scientia clara nouerat, atque esse insuper explicandis illis ad nostrum capum appositis, vt nostro modo ea perciperemus. Passio autem qua redimendi eramus acquisitam solum scientiam petiit, vt videbimus quæstione 6. ergo similis huic per se infusa scientia necessaria Christo siue absolute, siue ad magistrarium, nostramque redemptionem non fuit sed potius superflueret, ac proinde, ut quid minus perfectum minus Christum decuit, quo solum est, atque impugnatum, cui præcipuè Bernal. fidebat argumentum.

3 Dico secundo contra Lugo. Si Christo ea scientia digna foret ab instanti conceptionis ipsi adfuisse. Probatur quia eius usus dependenter à phantasia, seu per conuersionem ad phantasmata non foret: ergo neque organorum phantasiæ dispositio per tempus ipsi adueniens expectanda ad eam scientiam esset. Consequenter huius principii certa, ac legitima de se est. Probatur antecedens: quia conuersio ad phantasmata, siue dependentia à phantasia ad intelligendum mediis speciebus obscurioribus, quas habemus solum est, vt diximus, quatenus phantasma loco speciei concurrat ad intellectionem, vel ex ipso intellectus agentis ministerio speciei à materialitate defectu abstractantur, id quod supponit Lugo ipsius ratio, vt oppositum antecedenti probet: quia scilicet sensibilia obiecta prius sensum phantasiæ, deinde intellectum mouent, atque species ita per accidens infusa independenter à phantasia, & phantasmatis haberentur quandoque haberentur vt habitas à Christo in ætate adulta testatur Lugo: ergo in usu earum ad intelligendum, nec conuerteretur ad phantasmata, neque à phantasia, eiusque organo intellectus penderet. Confirmatur hæc ratio, & probatur secundo: quia beati speciebus his obscurioribus requisitis in via utitur ad intelligendum in patria sine conuersione ad phantasmata, atque independenter à phantasia (vt vulgo Theologi docent apud Salas 1. 2. t. 1. tract. 2. d. 6. sect. 8.) quæ tunc ex specie ab eis in existendo non pendent: ergo cum species per accidens infusa Christo ab eis non penderent, ac Christus excepta passibilitate, & merito, quæ usus similis non excludit, è beatorum statu se gerat speciebus similibus independenter à phantasia, ac sine conuersione ad phantasmata, utitur ad intelligendum.



QVÆSTIO V.

De scientia per se infusa fidei humanitatis Christi.

PRVSQVAM ad scientiam Christi acquisitam veniamas, nihil dubij circa scientiam infusam sine examine stricto relinquendum est, scientiæ per se infusæ fidei in Christo examen, nescio an satis hæc rigorosum fuerit. Cum Doctores, an ex communione rerum præiudicio an ex accurata meditatione impossibilem fidei actum in Christo supponant, potiusquam solidè probent.

CERTAMEN I.

Fidei actus in humanitate Christi fuis absolute possibilis.

1 CONCLUSIONI aduersantur præfixæ communitè aliqui Doctores in 3. d. 16. Vasq. & Soar. 3. p. q. 5. commentario articuli 3. ubi etiam Thomista Vvadingo d. 5. dub. 4. num. 28. Lugo d. 21. sect. 3. num. 30. & 31. Bernal. d. 31. sect. 1. §. 1. num. 6. sed non iidem omnino fundamentis omnes. Nam Lugo cenet numero 30. quoad immediatos assensum visionem claram cum actu fidei circa obiectum idem minime repugnare, sed tamen obscuritatis fidei imperfectionem Deum dedecere, quare, & humanitatem unitam inuola ratio, & mala conseq. adeo ad humanitatem unitam. Plura enim humanitatem etiam unitam non dedecet, quæ Deum non deccant quare, & ipse tandem numero 31. in rationem recidit communiorum de pugna claritatis visionis, & obscuritatis fidei circa idem obiectum, cui rationi ferè reliqui fidunt. Cum enim cognosci idem clarè, & obscurè simul repugnet: atque in Christo, cum Deum supernaturalium, tum denique naturalium etiam obiectorum intuitionem, visionemque claram omnes admittant, eis ipsis obscurus fidei actus circa aliquod ex illis factus ipsi fuit impossibilis. Vasquez vero vt erat ingenio solidiori, quodque vocum sono minime ductetur, videretque obscuritatem hanc ipsammet entitatem positiuam actus fidei esse, & claritatem illam positiuam entitatem visionis in ipsis formaliter nullam repugnantiam recognouit. Sed neque illative induci ex illis posse: cum neutra alterius cognitionis claritatem, vel obscuritatem aboleat in altera, vel in intellectu, qui visione clarè videret obiectum, etsi per fidem videret obscurè. neque enim fides facit intellectum absolute circa obiectum tenebrescere; sed solum clarescere per ipsum, quod non tollit clarescere per aliam, quo obscuritas dei respectu claritatis visionis ab obscuritate tenebrarum, quæ earum absoluta negatio est, valde discordat.

2 Ob hæc ille aliunde horum actuum repugnantiam altius aliis Doctores vestigauit. Nimirum ex eo principio quod nos statuimus, q. 4. cert. 1. num. 3. nempe adstante motiuo potentiori ad assensum minus potens, seu debilius è genere suo, mouere ad illum non posse: ast motiuum veritatis clara, & intuitiua vix fortius potentiusque est, quam motiuum veritatis obscurè solum vix ex notiuo reuelationis: ergo non poterit motiuum fidei ad assensum fidei mouere adstante clara eiusdem veritatis visione, sed & hanc rationem disseci cert. 1. citato n. 5. moxque iterum disseciam. Tertio denique impossibilitatem actus fidei cum visione obiecti eiusdem probant omnes ex illo 1. Corinth. 13. numero 9. Ex parte cognoscimus discursu, ex parte prophetamus, etc.

fide, cum autem venerit quod perfectum est, nempe clara Dei visio, evanescit, destruitur, quod ex parte est. id est imperfectum discursus, ac fidei nostræ. Nec satisfacies Pauli testimonio, si dicat: solum probare de facto fidem cum visione clara obiecti non fore: quod ex Dei decreto libero euenire posset, licet circa idem obiectum verique actus possibilis simul, ac composibilis foret: pauloque ita futurum reuelari: non autem loqui Paulum de impossibilitate simultaneitatis actus vtriusque. Etenim, licet verba Pauli de eo, quod de facto erit, sonent, aut rationem e duabus postremis alteram saltem continet, vel potius vtramque de perfectione claritatis, quæ est in visione clara, cum qua nequeat stare fidei obscuritas, ac de maiori perfectione motiva veritatis visæ, quæ locum non relinquat, vt eadem obscurè cognita mouere ad sui assensum possit: quare probat etiam negatiuam conclusionem de possibili.

3 Nostram autem conclusionem docent ex antiquis plures, cum quibus Petrus Hurrado: id est fide... d. lect... & de incarnat. quem politiones quique Recentiores sectantur. Ea vero ex oppositis omnino principiis probanda nobis est. In primis enim claritas visionis, & fidei obscuritas, etsi essentialis ipsi foret in eodem intellectu non pugnant, vt cum. 1. ostendebamus. Secundo assensus fidei essentialiter obscurus non est. Etenim posita euidencia reuelationis stat assensus ob illam: ergo, & fides: atqui tunc nulla esset in illo assensu obscuritas: ergo obscuritas non est essentialis assensui fidei. Antecedens primum constat: quia stat obiectum adæquatum formale fidei, siue hoc consistat in veritate, & veracitate Dei applicata ex parte obiecti per reuelationem rei reuelata, siue ipsa etiam reuelatione, ac testimonio Dei constituatur. Ergo, & ob illud erit assensus: ergo, & eiusdem speciei cum assensu fidei, quod nunc habemus. Extrema hæc consequentia est certa. Antecedens autem patet. Quia sola deficeret obscura propositio reuelationis, quam nunc habemus, quæ nullatenus obiectum formale fidei conuenit. Prima consequentia inde deducitur constat: quia ex meliori, ac nobiliori applicatione motui nequit ipsum inefficax reddi, sed potius non potest non efficacius mouere: atqui posita euidencia reuelationis, & testimonij Dei melior, nobiliorque applicatio adest motui formalis fidei, quam si per obscuram proponeretur cognitionem: ergo efficacius mouebit ad assensum ob illud. Confirmatur quia citius mouet testimonium Petri euidenter cognitum, quam ex alterius relatione, vel aliunde non clarè notum.

4 Dices fidem humanam non esse essentialiter obscuram, sicut fides diuina: quare mouere posse, & melius, ac fortius testimonium humanum euidenter notum, secus diuinum. Sed contra quia petit solutio principium, & rationem à priori æquam in vtroque motiuo intactam relinquit, insuper euidencia testimonij diuini non est, euidencia reuelatæ veritatis in se: quare hæc euidencia non est eadem euidencia obiecti, cui ob euident testimonium intellectus assentitur: quare quod non euident in se adhuc manet, atque eo genere obscurum, seu non clarum relinquatur in se, sed in alio, scilicet in attestante. Dices posita euidencia reuelationis diuinæ non posse non intellectum assentiri discursiue ob reuelationem, cum quo pugnat assentiri eundem intellectum tanquam ob motiuum formale, vt opus erat ad fidem: quare solum assentietur intellectus discursu. Sed contra: quia hæc etiam solutio petit principium. Contra secundo: quia posita euidencia reuelationis fortius, & efficacius motiuum adest ad assensum immediatum ob illam, quam ad assensum mediatum ex illa per discursum: siquidem adhuc extremorum præcognitorum, connexio etiam præcognitæ ad assensum vero fidei immediatum motiuum est ipsumque diuinum testimonium, seu diuina authoritas, quæ certior est, atque clarè cognita, cum adest euidencia reuelationis, atque connexio extremorum, quæ naturalis solum est, sicut, & forme syllogisticæ certitudo: ergo, si hæc minus perfecta certitudo euidenter cognita intellectum rapit ad assensum discursiuum, & mediatum veritati reuelatæ ex reuelatione, citius, fortiusque illum

mouebit ad assensum immediatum fidei ob diuinam reuelationem.

5 Hinc probatur secundo conclusio: quia licet motiuum euidentiæ veritatis intuitiue visæ superet claritate motiuum fidei, hoc autem etiam in via obscurè cognitum superat certitudine motiuum veritatis visæ, siue per discursum euidentem cognitæ: cum sit authoritas diuina, certior longè, atque infallibilior, quavis certitudine purè creatæ: ergo, quæ certior poterit mouere adstante motiuo euidenti creato ad discursum: sicut hoc mouet, quia clarior adstante moti no certiori fidei. Hoc argumentum supponit, approbatque Paulus ad... Laudans quod fide credamus etiam, quæ euidenti discursu assentiuntur ex creaturis. Sed habetis firmiorem Prophetium sermonem, cui beneficiis attendentes tanquam lucerne lucens in caliginoso loco. Quod argumentum probat actum fidei obscurum ob cognitionem obscuram reuelationis non pugnanare cum euidencia creata quavis. Sed locum habere cum illa, imò, & vtrumque assensum naturaliter esse composibilem: in casu vero nostro cum Christus diuinæ reuelationis euidenciam habuerit efficacius probat: quia certitudine motiuum reuelationis motiuum veritatis visæ longè excedit: euidencia vero non superatur: quare citius, vrgentiusque motiuum fidei ad suum actum, quam ad suum assensum veritas euidenter cognita, ac visa mouebit. Sed hoc persequar statim certam. 2. vbi ad Pauli obiectum testimonium respondebo, ampliusque præsentem conclusionem confirmabo.

CERTAMEN II.

De facto fuit actus fidei in Christo circa reuelatam saltem plura.

1 Habet conclusio eosdem aduersarios, atque præcedens, nescio autem an eosdem, vt debet, Patro nos habeat. Probatur facillè: quia posita euidencia reuelationis actus fidei nullam habet obscuritatem indecentis imperfectionem: cum sit, vt vidimus, ab obscuritatis fidei nostræ imperfectione prorsus defæctus: atqui Christo adfuit euidencia reuelationis: ergo nullam in ipsa haberet imperfectionem: haberet autem perfectionem maioris certitudinis, quavis visione creata humanitatis: ergo Christo de facto fuit concessa. Patet, quia quidquid maioris absolute perfectionis est, nullamque imperfectionem, præter imitationem, quam imbibit ratio creaturæ, secum affert humanitati Christi est de facto concessum. Ex quo principio scientiam claram per se, & per accidens insulam illi adscripsimus supra. Probatur vrgentius secundo: quia motiuo reuelationis euidenter cognitæ non solum possibilis est ad assensum veritatis alias, siue discursu, siue intuitione euidentis, sed naturalis, ac necessaria, vt cert. 1. num. 5. ostendebamus: quare sine miraculosa concursus diuini suspensione non poterat non esse assensus humanitatis Christi ob illam, qui actus fidei foret: atqui hæc suspensio concursus diuini nullatenus constat ex scriptura concilijs, aut Patribus, vt constabit ex solutione testimonij supra ex Paulo oppositi: sed neque ex ratione Theologica, quæ potius pro nobis est, vt vidimus, videlicetque amplius probatione tertia statim subiicienda: ergo de facto actus fidei circa reuelatam, etiam intuitiue visa ab humanitate Christi asserendus in ipsa est.


2 Probatur tertio conclusio de pluribus, vt minimum reuelatis: quia quæcumque Christus Dominus nos in Euangelio docuit sunt à nobis credibilia fide diuina, nec superantur certitudine ab his, quæ nobis per Prophetas, & Apostolos sunt dicta: atqui, si ea ex visione solum, non autem ex fidei cognitione, & motiuo Christus nos docuit, non erunt certa, ac credibilia fide diuina, superabunturque certitudine ab his, quæ nobis per Prophetas, & Apostolos innotuerunt: ergo ea nos

Christus ex fidei cognitione, & motivo docuit. Minor probatur: quia quæ dicta nobis per Prophetas, & Apostolos fuere sunt certa, ac credibilia fidei diuinæ, quæ quæ longè superat certitudine, quæcumque ex creatura quavis certitudine, & euidentiâ possunt: atqui, si Christus sua nos docuit ex visione solum eorum, non autem ex reuelatione Dei, & sua fidei cognitione, quæ illi innitatur, assensus eius testimonio innitens; non innitetur, tandem diuinæ reuelationi, sed visionis suæ euidentiæ, ac certitudini longè inferiori: ergo ea omnia non erunt credibilia à nobis, ac certa certitudine fidei diuinæ; sed longè minus certa his, quæ nobis per Prophetas, & Apostolos dicta fuere. Dices Deum assistere humanitati Christi, ne erret in docendo citius, ac melius, quam summo Pontifici, & concilio: cum de Christo, qua homine, dictum à Patre nobis omnibus fuerit in baptisate, & transfiguratione. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacuit ipsum audire.* imò, & in iudicando humanitatis error Deo, ac verbo imputaretur, ut supra docuimus ac d. 2. iterum dicemus: quare æquè certitudinis erunt, quæ Christus nos docuit ex intuitione, atque ea, quæ ex reuelatione, & fide nobis alij dixerunt.

3 Sed contra primo: quia, licet hoc modo doctrinæ Christi veritas in Dei bonitatem tandem referatur, longius tamen, & mediatus, quamquæ è Dei reuelatione, & dicentis auctoritate nobis ex fidei cognitione proponeretur: quare minus certa proximè forent: quia minus immediate infallibilitati diuinæ inniterentur. Secundo est: quæ sit certitudinis: aut non essent inde credibilia fidei diuinæ, sicut neque Pontificis, aut concilij propositio res formaliter credibiles facit fide diuinæ ex assistentiâ Dei, ne in proponendo errent, sed solum quatenus est applicatio (certa quidem, & infallibilis ob eiusmodi assistentiâ) diuinæ reuelationis, qua formaliter assensus fidei obiecta, ac formaliter credibilia constituuntur. Contra tertio: quia iis, quæ nos Christus docuit non ex eiusmodi assistentiâ, sed ex diuinæ reuelatione auctoritatem Christus fecit ubique: *omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis.* atque iterum. *A me ipso non loquor. verba, quæ ego loquor non sunt mea, sed eius qui misit me.* Dices secundo reuelationem eorum factam Christo à Deo fuisse, non ut ille crederet, quæ clarè videbat, sed ut reuelata nobis prædicaret: quare fidei nostræ obiecta sunt, licet ipse non crederet. Sed contra quia cum Patris loquutio ad ipsum directa fuerit credere ipse poterat, ne Deum fabellam, ut aiunt, surdo narrasse dicamus. Si autem potuit credere: credere statim debuit, ne peccaret, quia is, qui ad aliquem loquitur locutione ipsa ab eo exigit fidem, ut bene Lugo t. de fide d.

4 Reliquum est opposito Pauli testimonio satisfacere. Sed id quidem facilis opus fuerit. Si fidei nostræ, quæ in via est imperfectio duplex notetur. Quæ ab ipsius substantia re ipsa differt, quamque euacuandam Paulus in patria docet. Prima, quod obiectum ex parte, non autem secundum se totum penetrat: secunda, quod obscure cognoit testimonio Dei innitatur: ac proinde, & fides obscura sit. Vtramque imperfectiorem notauit Paulus illis verbis immediatis ante nobis obiecta: *videmus nunc per speculum in enigmate tunc autem facie ad faciem: ecce obscuritatem cognitionis, ac fidei nostræ inuia, & claritatem, qua depellatur in patria. Nunc cognosco ex parte id est, non totum Deum obiectum: tunc autem cognoscam, sicut, & cognitus sum.* ac proinde cum uenerit, quod perfectum est euacuabitur, quod ex parte est. nempe fides hæc, quæ imperfecta, ex inadæquatione, & obscuritate est, non autem absolute substantia fidei, quæ in totum Deum, & obiectum suum euidentiâ in attestante clarè feratur, locoque imperfectæ huius Beatis cum Dei visione contingat, quod secus in charitate eueniet, quæ eademmet quæ in via, perseverabit in patria: cum idem utrobique sit, & principium, & obiectum. Confirmatur: quia eodem modo scientiam destruendam, atque fidem ait Paulus in patria: cum tamen nemo ex aduersariis scientiam cum visione eiusdem obiecti pugnare doceat: ex eo solum quod non per species alienas, & abstractiâs cognitiones futura sit. Denique, licet Beatis, quibus satis perfectionis erit

videre, quæ crediderunt, concursus ad credendum esse negaretur de facto, aut Christo ne eius illi desit perfectione fidei certitudo è creatis supra desit, ut nos ex reuelatione doceret denegandus minimè fuit, sed omnino concedendus, ut vidimus.



QVÆSTIO VI.

De scientia humanitatis Christi acquisita, nostræque similis.



APPLICITER à nobis scientia acquiri, pararique potest. Primo per experientiam, secundo per alterius doctrinam, nostræque disciplinam, siue discipulatam. Inquirimus ergo an utroque, vel altero saltem modo ab humanitate Christi domi parata fuerit, vel acquisita?

CERTAMEN I.

Humanitatis Christi propriis experimentis scientiam nostræ similem acquisiuit.

1 RATIO conclusionis ad manum est, quia, licet cognitio hæc non sit æquè perfecta, atque clara eorum obiectorum cognitio, ac proinde minus sit dicens, ut humanitati Christi à Deo donetur, cum eorum scientia donanda erat: absolute est perfectio à qualis humanitatis viaticis, atque Christi passioni, nostræque per illam redemptioni, valde consentanea. Oportuit enim, ut dolores, cruciatusque sentiret, audiret blasphemias, irrisiones videret, aceti, ac felli gustaret amaritudines, atque ea omnia, quæ pro nobis perulit sensibilibiter perciperet, nec solum sensibilibiter, sed intellectus aliter etiam ad passionis perfectionem exactam cognosceret. Probatur secundo: quia posito obiecto sensibili, & per se, vel speciem sui potentie applicito naturaliter, exteriori sensitur: ex ea vero externa sensatione interior etiam phantasia sensatio naturaliter oritur ex interna autem hac naturaliter suboritur intellectiva eiusdem obiecti cognitio: quare in Christo Domino, cuius potentia, & organa apprimè erant disposita, obiectorum occurrence naturalis sensatio externa, & interna, atque intellectio naturalis fuit, non miraculosa: qualis absque fundamento intellectiois eius negatio assereretur?

2 Ab auctoritate non sunt pro eadem conclusionis momenta minora, est siquidem Laurentij Iustin. lib. de casto connub. c. 10. cum S. Th. & iam inter Theologos communis eam tradidit Paul. ad Hæbreos 5. *didicit ex his quæ passus est obedientiam.* Id est denuo experimentaliter cognouit labores, ac dolores, quos in obediendis Patris mandatis fuit perpassus, ut bene, ac fuse Ricard. Villosi de Emanuele. c. 15. expendit. Ad Hæbr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia. Ad quæ Cyril. 3. de recta fide ad Rogin. Si enim non esset verbum Dei factum homo, sinisset equis & sic, humanam infirmitatem, ut Deus: ipse enim nouis signatum nostrum, ut scriptum est. Psalm. 102. siquidem (hominem quiddam de ipso dicere licet) etiam nudum in hoc tentatum foret nostrarum passionum experientiam: vbi autem tentatus est carnem tentatum est per omnia. Nihilominus non dicimus, quod ignorauerit: sed quod præexistente diuina cognitione etiam per ipsam experientiam voluit discere. Extrema sic clarus veritatis noster Peltanus. c. 1. concil. Ephesini. c. 6. *Nec iam dicimus ante quidquam omnino eorum omnium ignorasset scientie diuine, quam obtinebat, eam quoque notitiam, quam ipsi experientia, accessisse. Itai. 7. Antequam puer sciat malum, & bonum. & Itai. 8. Antequam puer fiat vocat Patrem suum, &**

Marem suam auferetur fortitudo Damasci. Ex quibus scientiam hanc paulatim experientia, prout sensuum organa in dies proficiebantur, acquirunt colligit in Christo Fulgent. 1. ad Trasimund. c. 7. Ambros. autem de incarn. Dominicæ sacram. c. 7. sic ad extremum locum scribit. Sapientiam Dei futura, & occulta non fallunt; experis autem cognitionis infantia per humanam utriusque imprudenciam, quod adhuc non didicit, per sensus ignorat.

3. Accedit locus supra à nobis explicatus Matth. & Marci. de die autem illa, & hora nemo scit. &c. quem de scientia experimentalis, quam denuo parandam à Christo homine docent, intelligendum aiunt Origen. hom. 50. in Mar. & Bernard. lib. de gradib. humilit. sub init. celebris tandem ad rem præsentem est locus Lucæ. 2. vbi num. 40. habetur: Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia. quæ Ambros. ante verba ex ipso data ita legebat. & implebatur sapientia. quo eius incrementum exprimitur. Sed clarius ab Evangelista. num. 52. & Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines. Ad quæ Ambros. proximè paulo superius: quomodo proficiebat sapientia Dei doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, & profectus sapientia, sed humana est. Ideo ætatem ante præmissi, ut secundum hominem crederes dictum. ætas enim, non diuinitatis, sed corporis est. Ergo, si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit: quia sensu sapientia. Quid clarius pro scientia Christi experimentalis, atque assensuum ministerio, sicut nostra dependenti? Eodem modo, licet non adeo expressis verbis, de profectu in scientia per sensus, eum locum interpretatur Epiphanius in Ancorato. Athanas. term. 4. contra Arrian. Cyril. 10. Thesa. c. 7. ac de recta fide ad Regin. Fulgent. vbi proximè Bedæ, & Euthym. ad eum locum. Etenim in scientia quomodo comque infusa Christi eum profectum admittere non possunt.

4. Dices eodem modo dicitur Christum excreuisse in gratia, atque in sapientia: cum tamen gratiæ augmentum in dies nemo in illo admittat: ideo fortasse Athanas. & Cyril. vtriusque augmentum in suo corpore, semper Ecclesia dictum ibi volunt. Sed reluctatur textus, qui totus de Iesu vita, & persona est. Origen. & Epiphanius. supra. Naz. orat. de laud. Basil. Cæsar. Dialog. 1. Vigil. lib. 3. & 5. contra Euthym. gaudet respon. ad Paul. Diacon. in id Pater maior me est. Damasc. lib. de duab. natur. Theophilact. in eum locum intelligunt vtriusque augmentum non in entitate, sed in hominum opinione, atque ostensione ad ipsos facta. Sed est contra hanc tantorum Patrum suscipiendam expositionem: quod in eis Iesus, non solum apud homines profectus, sed, & apud Deum dicitur: id est verè iuxta Hebræicæ phrasim energiam. Respondet Maldonatus, ex aliquot veteribus Theologis, & communi & recentiorum, sensum esse, quod hominibus apud Deum, seu verè proficere sapientia, & gratia Iesus videretur. Sed textus constructio difficile ad eum sensum trahitur, ut patet. Dicit tamen adhuc posse: ostensionem illam gratiæ, & sapientiæ non esse per opera solum clariorè illas demonstrantia. Sed quæ verè ex eis proueniunt: quare, & offensio apud Deum etiam vera omnino esset. Quo pacto meo iudicio difficultas quæritur obiecta. Sed, quoniam primam eius loci interpretationem citati Patres non retractarunt, tenenda est; neque secunda hæc deserenda, sed ex vtraque genuina adæquatæque loci interpretatio constanda, ut de scientia experimentalis profectu vero, & ostensio etiam intelligatur; de gratiæ vero ostensio solum. Sæpè enim eiusdem contextus verba, dispositione eadem, non eodem sensu accipienda sunt, sed iuxta materiæ cui iunguntur capacitatem, ut docet Maldonatus ibi. Sic Ioan. 20. num. 17. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum significet, & Matth. 8. 22. amittite mortuos sepe vitæ mortuos suos, vbi primo loco mortui in anima, secundo mortui corpore significantur. Neque nostræ conclusionis aduersatur Damascen. lib. quod ad imag. Dei facti sumus. dicens scientiam Christi non fuisse paulatim auctam, sed statim perfectam, sicut, & infantile ipsius corpus. Loquitur enim de scientia infusa Christi.

5. De scientiæ huius habitu constat ab speciebus, quæ nostris similes sunt, nullatenus distingui. De obiectis nonnulli cum Caietano omnia mundi huius inferioris obiecta fuisse putant, quippe Angelorum ministerio eorum omnium phantasmata, ut specie abstraheret, Christo censent præsentata. Id quod non alio modo, quam præsentatione omnium obiectorum per se, vel per species suas potuit ab Angelis præstari quod, & ridiculum est, & falsum. Etenim hoc pacto in scientia hac Iesus cum ætate non proficeret, sed simul omnia hæc, & præsentarentur, & cognosceret. Secundo ad ea tantum, quæ ipsius passioni conducerent, quæque obuia sensibus Christi facere admittenda ea scientia est: ut rationes, quibus ea in Christo probatur, satis ostendunt. Vsum dicendum ab vno huius scientiæ obiecto in aliud concedit Christo Vasq. c. 4. num. 20. §. dicendum igitur, multo, quam in nobis perfectiorem ex scientiæ infusæ adiunctione. Sed nescio quid scientiæ infusæ adiunctio ad dicendum conferat: cum circa eius obiecta, ut potè clarè vita, locus discursus non sit. De scienciæ huius certitudine, quoad sensus attingit, erroneam esse posse, iudico, ac colores iridis, qui veri non sunt in philosophia communi, percepturum sensibus Christum, imò, & intellectu apprehensurum, quod enim aliqui aiunt Christum sua diuina virtute sensus præuenisse ne deciperentur aliter sensibilia, quam in se essent perciperet, licet vicumque fieri posset, factum tamen veritati naturæ assumptæ derogaret non parum: cum inde connaturalis modus percipiendi sensibilia planè negetur. Sed tamen cauendum est ne propterea iudicio, & assensu circa ea obiecta deceptum decipiue Christum potuisse admittamus, ut Magister Victoria admittit apud Vasq. d. 61. c. 9. num. 57. Etenim iam ignorantia, & error absurdè in Christomitterentur. Eam ergo apprehensionis deceptionem, & errorem infusa, & clara scientia sua præstantius ad iudicium corripitur in Christo, quam in nobis per imperfectiorem scientiam nostram emendatur.

CERTAMEN II.

Nullam scientiam disciplina, & doctrinam
creata paratam Christum Domini
habuit.

1. Gnostici apud Irenæum. 1. aduers. hæres. c. 17. Erasmus in annotationibus ad nouum testam. ad 2. Lucæ Loffius, Melancthon, & Lutherus apud Canis. 3. de Deipara. c. 22. Christum sub præceptoris ferula alphabeticum, pluraque alia ab hominibus didicisse blasphemarunt: quibus conclusio nostra aduersatur. Ratio est: quia discere ab aliquo est ex alioius doctrina denuo absolute, vel melius scire, quod antea, vel absolute ignorabatur, vel non ita perfecte sciebatur. Christus autem perfectius creata nouerat scientia infusa, quam ex hominis, alteriusve creaturæ disciplina scire posset: ego non potuit à creatura discere: quocirca cum Christus homines, aut Angelos audiebat, nihil denuo cognoscebat ex his, quæ dicebantur, neque eis, etiam ob illorum testimonium assentiebatur, à quo moueri iuxta dicta ad assensum non poterat: ita perfectius illi, ac fortius euidentiæ motium aderat. Licet experimentalis scientia locutiones eiusmodi cognosceret. Sed dices Luc. 22. Apparuit ei Angelus de celo confortans eum: & factus in agonia prolixius orabat &c. Etenim confortare Christum non aliter Angelus potuit, quam rationes proponendo, quibus passionem tantam bono, hilarique animo adire posset, quasque tunc Christus nesciret. Si enim eas ante Angeli propositionem æquè benè Christus nosset otiosa, & inutilis ea foret propositio, ut confortaretur. Sed inde vero Arriani Christum puram esse creaturam arguebant, Idcirco Hilarius 10. de Trinit. de historiæ huius veritate dubitauit, atque à Catholicis expuncta à Lucæ textu dicitur ab iplo, & è Hieronymo. 2. contra Pelagian. vers. med. licet


de eius veritate non dubitauerit, vt falso refert Bernal. d. 38. sect. 3. §. 1. num. 19. sed nec dubitari iam à Catholico potest: cum extet in vulgata editione recepta, atque probata à Concilio Trid. sess. 5. indecreto de vsu sacrorum librorum.

2. Chrysof. serm. de S. Trinit. post med. Epiphan. hæref. 69. Theophylact. Titius Bostrenf. & Lucas Burgenf. ad eum locum. S. Th. in 2. d. 11. q. 1. a. 3. ad 7. Valq. d. 56. c. 2. afferunt confortationem ibi solum dicere laudem fortitudinis Christi ab Angelo præstitam. Sic Deuter. 32. Moyses in cantico. *Roborentur in ipso omnes filij Dei*, quæ Epiphanius eiusque interpres sic actiue vertunt, *confortent ipsum omnes Angeli Dei*. Id est laudent eius fortitudinem. Apocal. 4. *Dignus est agnus, qui occisus est accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* & c. 5. *accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem.* Id est eius laudem. Plal. 8. *ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* Hæbreæ fortitudinem. Si ergo pro fortitudinis laude fortitudo accipi dicitur in scripturæ phrasi, eiusdem laude rectè confortasse Christum Angelus dicitur. Obiicit Lugo quia naufragum iam fluctibus obruendum de animi dotibus in solatium laudare importunum foret. Foret quidem: Angelus non tentabat solatium Christi, sed laudem de eius fortitudine, quæ confortatio dicitur in scriptura. Opponit Bernal. quia gaudium, ac voluptatem, imò, & laudem Angelorum de sua fortitudine nouerat scientia infusa, antea Christus. Bene: sed non nouerat scientia experimentalis. Neque id obesse quominus Angelus cum Christu de ea laudabat fortitudine dare ipsi fortitudinē, eumque confortare iuxta scripturæ phrasim diceretur.

3. Bernal. d. 38. sect. 3. non bona fide refert ex Patribus, & Soario citandis Angelum motiuis propositis animos Christo fecisse. Sed contra: quia vel iudicabis posse eis motiuis animos Christi augere, vel non? Si primum: vel Christus discere ab illo potuit, vel Angelus à Deo etiam ad eam confortationem missus deceptus fuit: quorum alterutrum absurdum est. Si secundum vana, & inanis illa confortationis ceremonia fuit, ac solum apparens nullo spectante, qui confortari Christum iudicare posset. Et quidem apparitio Angeli fuit solum, non confortationis, qualicumque ea fuerit: quare vana est ea Bernalis creditio Patribus imposta. Hieronym. igitur. Dialog. 2. contra Pelagian. circa med. & Cyril. epistol. 9. verè confortatum Christum ab Angelo docent. Indeque alter auxilij necessitatem ad honestè viuendum contra Pelagianos probat, alter vero contra Eueychianos naturam etiam humanam Christi: ne si diuina sola admittatur in Deo timor, tristitia, atque auxilij Angelici indigentia admittatur: quam, & Damasc. in humanitate Christi admittit. 3. de fide. c. 20. atque eius interpres Nizetas. 3. Thef. c. 37. Ex hoc loco Bernardus serm. 1. de S. Andrea apparuisse Angelum ait, vt Christum indolore, in anxietate consolaretur. Hilar. supra ex quo Beda quomodo confortatum ab Angelo aiunt, quo propter nos tristis fuit: id est verè. Consentunt Lyræ. & Caiet. ibi. S. Th. 3. p. q. 12. a. 4. ad 1. cum Dominicanis ibi Lugo d. 2. t. sect. 2. num. 24. versu *Ego magis*. Bernal. proxime. §. 3. quam expositionem ob tantorum Patrum auctoritatem respuere non possumus: maxime, cum & à prima iuberetur, defendique posset, quin ab Angelo Christus quidquam didicerit. Potuit enim Angelus Christum confortare quin aliquid eum doceret. Primo eius fortitudinem laudando, gratiaque agendo pro iis, quæ patiebatur, atque aggrediebatur pati: suo item beatifico modo compassionem exhibendo: sui etiam splendore, ac maiestate sensus exhilarando, comitando à discipulis derelictum, Patris voluntatem sensibilibiter, vt bene Maldonatus in 26. Matth. num. 40. intimando: ac præcipuè deprecando, vt bene Bernal, vt lætificis cogitationibus (quas voluntariè, vel abiecerat, vel effecti priuarat, vt ita tristaretur, atque anxietetur) locum faceret.

4. Dico secundo Christus à nulla creatura potuit edificere. Probatur, quia creaturarum omnium rationalium Magister, & Doctor, vt vnionis dignitatem decebat, iuxta id Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* &...

dicitur *magni consilij Angelus*: at cum hoc pugnat aliquid ab aliqua creatura discere, vel doceri. Secundo: quid omnium habitus clarissimè scientiam, aliis omnibus, quæ creaturæ doctrina, acquiri possent, longè præstantiorum. An vero cum vnione hypostatica præcisè discipulatus ab aliqua creatura prorsus absolute humanitatis repugnet ab ea quæstione pendet, an humanitas hypostaticè vnita ignorare, aut errare absolute poterit. Si enim absolute potuit errare, & potuit à creatura doceri. De ea vero quæstione agendum per otium erit. d. sequenti. q. 1.



DISPUTATIO II.

De iis quæ scientia Christi, siue in intellectu, siue in voluntate impediri posse videbuntur.



SCIENTIA Christi impediri posse in intellectu ipsius videbuntur ignorantia, & error: indeque in voluntate admittitur timor, & tristitia. De quibus scorsim computatione præsentandum nobis erit.



QVÆSTIO I.

Non erit ne, esse uerè potuerint in humanitate Christi, ignorantia, aut error.



IGNORANTIA dupliciter capitur. Primo positiuè pro ignorantia præuæ dispositionis, quomodo idem, quod error est. Secundo negatiue pro scientiæ carentia præcisè. Hæc autem rursus diuiditur in ignorantiam præse negatiuam, & priuatiuam. Priuatiua est carentia scientiæ debitæ secundum statum, & conditionem subiecti. Præse negatiua est scientiæ non debitæ carentia. Error vero est iudicium de re altera, quam sit, quod ad rem attinet præsertim: licet iustus sumptus error in sensibus, & apprehensione locum habere possit.

CERTAMEN I.

Priuatiam etiam ignorantiam habere absolute potuit Christus: aut minimè habuit.

1. Dico primo potuit Christus habere ignorantiam etiam priuatiuam. De præse negatiua ignorantia dubium non est, quin in Christo esse potuerit, imò, & ignorauerit de facto aliqua: cum infinite supra suas cognitiones non reflecteret, vt supra docebamus: quare aliquam tandem cognitionem suam non cognouerit, nec nescierit, ne processus causarum subordinatarum infinitus admittatur. De ignorantia priuatiua probatur conclusio: quia, licet vnionis titulo reliquorum futurorum noticia Christi humanitati deberetur, eaque maxime ipsius statum deceret eorum ramen omnium, vel aliquorum noticia negari ipsi à Deo, absolute potuit: ergo, & esse in Christi humanitate ignorantia priuatiua, quæ nihil aliud est, quam negatio notitiæ, siue cognitionis debitæ statui, & conditioni humanitatis Christi. Antecedens probatur primo: quia eorum omnium noticia liberè fuit humanitati Christi à Deo data: ergo, & potuit absolute

absolutè ipsi à Deo denegari: alioqui liberè data illi non esset, sed necessario. Secundo probatur: quia status plenè beatificus, ac proinde impassibilitas, & claritas corporis eodem rationis titulo humanitati eidem debebantur à sui conceptione: & tamen denegata illi in hac vita fuere ex alijs finibus à Deo: ergo, & notitia debita futurorum negari absolutè ex alijs finibus à Deo potuit.

2 In quæstione de factò Gnostici, alias Valentiniani apud Irenæ. t. aduers. hæres. c. 17. diei iudicij; atque in illo futurorum, imò, & aliorum plurimorum ignorantiam Christo blasphemè tribuebant: atque ut testis est Iſidor. 8. Origin. c. 5. circa finem, etiam qua verbum Christus est. Quos proinde per iocum Ignoritas appellat. Hi autem planè Arrianismum incurrerunt: siquidem, Arriani teste Athanas. orat. siue ferm. 4. contra ipsos post med. & Hilario de Trinit. ex ignorantia diei iudicij, quam ex Matth. 24. & Marci 13. filio Dei imitabant, illum Patri consubstantialem negabant. An vero Ignoritas iidem qui Agnoitas fuerint? asserunt Vasq. d. 5. t. c. 2. num. 2. Sander. 7. de visib. Monarchia hæres. 108. Negant melius Castro hæres. 8. Præcol. verbo Ignoritas. Agnoitas enim eiusmodi ignorantiam Christo solum, qua homini affigebant, ut testatur Nizephorus. 18. hist. c. 50. Gregor. Magn. 8. epistolæ epist. 42. contra eorum hæres. vbi Eulogium Episcop. Alexand. laudat, quod eam confutauit. Porro agnoitas à Thomisto dicitur Themistiani sunt, ut aiunt Sophron. Patriarcha Hierosol. epist. ad Sergium. 5. in concil. Constantino. act. 1. approbata act. 14. liberata. Archidiacon. Cartag. c. 19. Breviar. t. 2. Concilior. post Arrian. 3. Damascen. de hæres. verbo Agnoitas. Horum errorem excitauit deauò Lofius; Mejancthon. Lutherus, & Erasmus cit. d. 1. q. vlt. cert. 2. num. 1. ampliari autem illum Bullenger. Brenni. & Caluin. apud Canis. citatum ibidem asserentes ignorasse Christum, qua hominem in ficulnea esse folia tantum, imò errasse iudicando esse etiam fructum, atque insuper passionis, ac mortis suæ euentum cum Patrem orabat, ut calix si fieri posset à se transferret.

3 In eadem sententia, quoad diei iudicij ignorantiam humanitatis fuisse referunt Patres plures Irenæ. 2. aduers. hæres. c. 49. Basil. epist. inquisitum ad Amphilochoium Latina per Euardentium. Naz. orat. 36. 4. ad Theolog. num. 60. quos omnes è contextu vniuersusque ab eo sentu eruditè vindicauit Vasq. citatus à num. 6. Sed vero eiusmodi ignorantiam elare in Christo admittunt Athanas. vbi proxime, ut testis est Vasq. num. 5. Tolet. in c. 2. Lucæ annotat. 86. Salmeron. t. 4. p. 3. tract. 4. atque apud eodem Cyril. 9. Thef. cap. 4. vbi ignorasse Christum, qua hominem vbi Lazarus positus, siue depositus fuerat, etiam admittit. Ambros. autem. 2. de fide. ad Gratian. c. 3. ait debuisse de suæ passionis, euentu ac morte, cum Patrem, ut transferret, si posset, orabat. Cæterum licet hæc citati Patres admittant clarè citatis locis nullam tamen errori huic fidem, vel auctoritatem faciunt. Ea enim admissio permissua solum fuit Arriani ex eo præcipuè testimonio Matth. 24. de die autem illa, & hora nemo scit, nisi solus Pater. & Marci 13. neque scit, nisi Pater contra filij, ac verbi diuinitatem arguentibus, ut argumenti imbecillitate clarius ostenderent. Cum enim Arriani eandem personam verbi, ac filij Dei in duplici natura faterentur, humana, scilicet altera, atque altera verbi, ac filij, quam ex ignorantia rigurosa diei iudicij, quam Christus Dei filius de se videbatur fateri, non esse diuinam. Sed creatam probare Arriani nitebantur: ignorasse Patres admittunt, atque ita professum de se Christum eo loco, ut volebant. Arriani: est secundum humanam naturam intellectam ignorantiam nihil inde confici contra filij, ac verbi diuinitatem. Nihil ergo præsidij Agnoitas, ac nouatores citati in his Patribus habent; habent autem aliquantulum in Origene ad locum Matth. hom. 30. in ipsum versus finem, atque in Iansenio. c. 123. concordia Euang. circa fin. qui licet ignorantiam diei iudicij in Christo, qua homine absolutè non admittant, tamen pro-

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

babiler afferri posse fatentur, qua in re sunt periculosè, ne dicam erroneè decepti.

4 Dico secundo nullius rei ignorantiam priuatiuam Christus qua homo habuit Conclusio hæc in nullo Concilio definita est; sed tamen constanti Patrum consensu acordi, ac perpetua Ecclesie traditione dogmatica est: ideo opposita conclusio, ut hæresis à Patribus refertur num. 2. nostraque conclusio traditur à Patribus datis. d. 1. q. 1. & 2. qui negant diei iudicij ignorantiam in Christo, etiam qua homine, atque ab his quos statim idem negantes referemus Iulian. Mart. q. 58. ad Orthodox. Ignorantiam Christo tribuere impium vocat. Clem. Alex. 6. Pædag. init. si ita est, (ut aliquid Christo baptizando defuerit) ut aliquid disceret opus fuit; sed cum cum Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum. Neque enim quis verbo maior fuerit: sed neque Magister, ac Doctor est eius, qui solus est Magister. Erat autem secundum humanitatem baptizandus, & baptizatus, ac secundum eam etiam omni creatura maior, & omnium Magister: quare neque secundum humanitatem discere à creatura potuisse asserit Clemens: id quod his clarius persequitur. An non ergo, vel inuiti, fatebuntur Verbum perfectum ex perfectio Patre natum ex æconomia, Incarnationis dispensatione, præordinatione esse perfectè regeneratum? Et si erat perfectus, cur quærat perfectus tingebatur? Ioannis Baptizate, oportebat, inquit, implete humanam perfectionem. Pulcherrime: ita enim dicit. Simul ac ergo à Ioanne tingitur si perfectus? Scilicet. Nihil ergo à Ioanne didicit? nequaquam: solo autem lauacro fit perfectus. Hilarius de Trinitate. Cum igitur omnis in Deo sit plenitudo, & omnia per ipsum, & in ipso reconcilientur, & dies illa reconciliationis nostræ expectatio sit, hanc ille diem ignorat, cuius, & in se tempus est, & per se Sacramentum eius est? Etiam, qua hominis, cum ei iudicium omne datum sit, quia filius hominis est, etenim aduentus sui dies ista est, de qua Apostolus ait, &c. Consentunt Chrylost. hom. 68. in Matth. 24. Basil. contra Eunom. sub fin. vtrunque locum explicans Naz. orat. 36. 4. de Theolog. post med. Hieronym. in locum Matth. & in id Ierem. 31. Mulier circumdabit virum. Bernard. hom. 2. super Missus est. ad locum eundem. Damasc. 3. de fide c. 2. 1. & Nizer. 3. Thef. c. 38. Sic Nazianzen. sententiam illustrent. Si Theologi Gregorij sententia, id quod in oculorum aspectum cadit, ab eo quod mente, atque intelligentia percipitur. distinxerit, serua, & ignorans caro dicitur; verum ob persone identitatem, atque indiuisam communicationem Domini anima rerum futurarum cognitione, &c. locupletata est. Et c. 12. qui asserunt Christum progressum fecisse in sapientia, quia prius aliquid ignorauit, negans vnionem factam esse. M. denique Gregorius 8. epistolar. epist. 42. Quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse non potest.

5 Duplicem dogmaticæ huius veritatis rationem dederunt nobis recitati Patres. Primam Damascen. & Gregor. quia vnionis titulo omnium futurorum humanitati data cognitio est, quæ neque in se, nec cum fine, aut munere Incarnationis pugnat: atqui cognitio diei iudicij, & reliquorum, quæ ab hæreticis obiciuntur, nec in se, neque cum fine, aut munere Incarnationis pugnat: ergo data humanitati Christi de facto fuit. Confirmatur: quia, quæ Christi, atque humanitatis eius statum, & conditionem cognosci decet, nequeunt in se, vel cum incarnatione, vel eius fine, aut munere pugnare: ignorantia autem priuatiua solum esse potest carentia cognitionis eorum, quæ humanitatem eiusque statum decent cognosci. Nec refert positio titulo, & exigentia vnionis posse cognitionem absolutè denegari à Deo nam quoties de opposita Dei voluntate non constiterit ex Scriptura, vel Patribus, aut incommo Theologico, quæ hic absunt, annuere de facto Deum exigentia tenendum est: quia ea est connaturalior prouidentia, sicut de causarum naturalium absolutè exigentia conuenire. Rationem secundam conclusionis expressit Hilarius. quam sic instruo. Quidquid spectat ad statum in quo quisque à Deo collocatus est, atque ad munus ipsi à Deo coniuncti datur de facto illi à Deo, atqui cognitio diei iudicij, & futurorum reliquorum spectat ad statum, & munus

X x x

munus, in quo à Deo posita fuit Christi humanitas: ergo data de facto ipsi à Deo fuit. Minor probatur, quia Christus, quia homo, constitutus à Deo est vniuersalis Redemptor, Magister, & Iudex: atqui diei iudicij, & reliquorum futurorum, quæ sunt omnia, vel effectus, vel media redemptionis, vel eorum abusus, cognitio pertinet ad munus Redemptoris. Magistri, atque iudicis vniuersalis: ergo pertinet eorum cognitio ad statum, & munus in quo humanitas Christi collocata à Deo fuit.

6 Ad loca Matth. 24. & Marci 13. Respondimus d. 1. censent intelligenda esse de ignorantia capitis Christi in suo corpore nempe Ecclesie, cuius defectus sæpè capiti eorum in se incapaci attribuitur iuxta Regulam Ticonij. Ita M. Greg. proximè cum Eulogio libro contra Agnoitas, & Origenes, & Damascen. sic explicans profectum Christi in sapientia. 3. de fide capite 22. intelligenda autem de ignorantia experimentalis aiunt Origen. Bernard. de gradib. humilit. ad verba Marci Epiphani. Ancorato longè post med. ac fol. 8. Chrysost. tom. 3. hgm. de Trinit. longè à medic. Sed vtraque explicatio impugnata à nobis est disp. 1. Quia textui, & intentio non congruit: quia etiam de causa reicienda est alia Basilij Epist. Citata ad Amphilocho. nempe solum Patrem scire, à se nimirum: de qua etiam expositione Naz. oratione 36. 4. de Theolog. numero 36. ait exiguum intelligere. qui sic intellexerit: quia solè Deitati diei iudicij cognitionem concedere videtur. Duplex ergo expositio probanda, probatque à nobis, d. 1. fuit. Altera Ambrosij 5. de fide capite 7. Hilarij 9. de Trinit. assentientium eis verbis denotari non esse tempus diem illum propalandi: ac proinde scientiam pro manifestatione ibi sumi, atque pro hac negari consentit Alphonfus de Castro. Sic nescire se boni, ac prudentes dicunt rogantibus, quæ secreto opus habent, & manifestare non expedit, imo Deus ipse eo modo sæpè loquitur, de iis, quæ nouit, vt multis testimonijs. d. 1. demonstrauimus. Altera nobis gratior erat. Gregorij. M. & Naz. Damasceni Niceenæ, vbi proximè Caiet. Vazquij, & aliorum humanitatis viribus, vt ab vnione se iuncte diem illum nescire; suppressit autem vnionis titulo scire vt discipulorum curiositatem de eius diei noticia compesceret, quam Angelis negatam, atque præcellenti humanitati tot miraculis illustri de se indebitam, nec sui titulo datam Magister profitebatur.

CERTAMEN d. I.

Nullus error in Christi humanitate fuit, esse uero potentia absoluta potuit.

2 Conclusio negatiua de facto Catholica profusa, imò magis Catholica est quam præcedens: Aduersatur hæreticis citatis cert. 1. numero 2. sine, & Magistro Victoria Dominicano, qui docebat supra deceptiones sensuum humanitatis in Christo ad intellectus etiam deceptionem peruenisse. Probatur primo, quia error magis dedecet humanitatem unitam, quam ignorantia: atque hæc, indecentiæ causa, non fuit de facto in Christo, vt vidimus: ergo multo minus fuit de facto error. Secundo: quia error nec Beatos docet, quam ab eis de facto abest: ergo multo magis ab humanitate Christi. Tertio: quia, vt bene ac fusè persequitur Anselm. libro secundo, *Cum Deus homo* capite 3. error de facto in Christi humanitate admissus multum auctoritati Magisterij, & doctrinæ hominis Christi derogaret, quarto: quia cum esset in Christo scientia obiectorum infusa, & clara præsto sensuum, & apprehensionis deceptiones, siue errores corrigebantur, ne de re vlla aliter ac in se esset iudicaret. Et quidem in quaestione de facto

nulla est in re præfenti difficultas. Quæstio autem de possibili paulò est difficilior pro qua statuendum est errorem culpabilem (quem non aptè hic cum practico, quo omnis peccans est ignorans, Valq. & Lugo considerant) in humanitate Christi esse non potuisse: cum ea esset, etiam vniõnis ad verbum antecederet impercabilis.

2 Solum ergo potest esse quaestio de errore inculpabili an humanitati Christi potuerit absolute committere: affirmant Valq. proximè, Lugo d. 2. sect. 3. num. 26. §. *opposita sententia* vbi Theologorum plurimum, & Recentiorum, & antiquorum esse ait. Negat autem Soar. d. 24. lect. 3. §. *difficile quidem*, Sed nescio an debita distinctione disputent, ac doceant. Etenim, vt clarè hæc in re, & disputetur, & definiatur dupliciter humanitas Christi consideranda est. Primo, vt præcisè unita, secundo, vt scientiis beata, atque per se, & per accidens infusus etiam ornata. Deinde, vt sic ornata possumus loqui de errore circa earum scientiarum obiecta, si quæ sint, alia præterea, quæ eiuusmodi scientiis cognoscuntur, quibus positus dico secundo. Circa obiecta earum scientiarum nullus potest error absolute esse in humanitate Christi eis scientiis ornata. Hinc conclusioni assentitur Soar. nec dissentiri possunt, Valq. & Lugo. Ratio est prompta: quia implicat error cum scientia, & euidentia circa obiectum idem: atqui in humanitate Christi illis scientiis ornata est scientia, & euidentia circa earum obiecta: ergo in humanitate Christi eis scientiis instructa implicat error circa earum obiecta. Maior est dignitas, siue axioma philosophicum probatum abunde controuersi. de anima, controu. de actibus intellectus, ac de se patens. Quid enim virtutis habebit medium obiectum erroneum, atque, vt summum, verosimile, & apparet, vt in conspectu motui certum, & euidentis intellectum mouere trahereque possit in assensum, seu iudicium oppositum: circa alia si quæ sunt obiecta eadem est difficultas, ac de errore humanitatis unitæ, nec iis scientiis ornata, cum circa illa obiecta perinde se aliorum scientia habeat, ac si in humanitate non esset.

3 Dico tertio contra Valq. & Lugo. Humanitati præcisè, vt unitæ hypotheticè repugnat absolute error. ita Soar. citatus. Cuius pietati, potius quam rationi assentior. Nam actiones suppositorum in sensu Soarij non esse sæpè, ac plus satis ostendimus: quare ob eam rationem humanitatis error verbi ne ipsa non esset, nec cum eius infallibilitate pugnet, sed solum per idiomatum communicationem, quomodo plura alia re ipsa verbo repugnantia ratione vnionis hypotheticæ de ipso dicuntur. Anselmi citati testimonia extra rem sunt. Nam loquitur de humanitate Christi non præcisè, vt unita, sed, vt re ipsa Magistra omnium, atque scientiis ad id munus necessariis fuit ornata: quas si demas non inuenio ratione solus magistrorij, cur absolute decipi humanitas nequeat, sicut absolute decipi, errareque summus Pontifex potest, licet Dei nomine errorem nequeat docere, quod neque humanitas errans præstare tunc posset. Denique arguit. Quia phisicus ille humanitatis error inculpabilis, respectu verbi permittentis culpabilis foret, quod repugnat verbo accidere, vt se in aliquo culpabiliter gerat. Sed antecedens in sua communi doctrina de ratione formatæ personalitatis probare non potest contra Valq. qui respondet verbum non aliter teneri regere humanitatem unitam, quam sui prorsus iuris etiam sibi vnionem reliquit, quam reliquas non sibi vnitas humanitates.

4 Cæterum in nostris principiis firma, imò unita pro conclusione ratio est. Diximus enim rationem formalem personalitatis præter rationem essendi independentem ab vnione ad aliud, quam dicit subsistentiam propria addere naturæ subsistentis independentem in operando, siue rationem essendi cum pleno, & absolute Dominio operationum suarum independentem re ad alio, cui incumbat regimen, & gubernatio ipsius in illius

iebat. S. Th. à nobis datus, & explicatus. d. proœm. q. 2. vnde fit ad personam, quæ naturam personæ alienam, ita eius gubernationem spectare, vt quidquid indecens illa admittat, licet inculpabiliter, vitio personæ ipsam suppositantis, ac personantis vertatur, si ab hac potuerunt impediri; sicut, inuò magis, quam tutori, curatori, & Pædagogos actiones defectuolæ minoris, & pupilli, quas potuerunt impedire, licet inculpabiliter ob defectum aduertentiæ à minori, & pupillo fiant: quia ex munere tenentur eas vitare in natura, quam vt propriam sua sub cura regendam suscepit ex quo sic arguo. Error physicus est ex obiecto malus etiam moraliter, vt admittit Lugo num. 28. §. Respondeo transat. & patet quia error est abusus potentie naturalis datæ à Deo, vt veritas cognoscat: ergo accedente voluntario sufficiente ad culpam erit culpa, & malum morale: atqui in permissione, erroris etiam inculpabilis humanitatis, quem possit verbum impedire effectus sufficiens voluntario verbi ad culpam ipsius: ergo peccaret verbum errore etiam inculpabili humanitatis: quod proflus repugnat, ac proinde, & error etiam inculpabilis humanitatis. Subsumptum probò. Ex eo quod tutor, & Pædagogus naturam pupilli suam ad regimen esse munere fecerit, factis apponunt voluntarij ad culpam in permissione voluntaria defectuum ex obiecto malorum, pupilli inculpabiliter etiam eos operantis: at verbum, strictius iure vnionis, & personationis humanitatis Christi suam illam fecerat ad regimen, & gubernationem actionum ipsius: ergo permissione voluntaria inculpabilis erroris humanitatis, qui ex obiecto malus est, factis apponeret voluntarij ad culpam.

5 Totus est Lugo in negando, atque impugnando subsumptio. Putat enim vt aliquid ex obiecto malum imputetur ad culpam opus esse, vt voluntarium sit naturæ ipsius, quæ illud physicè operatur. Oppositum autem exemplis datis euicimus, milleque alijs possemus. v. g. Prætoris, quia mentem exure segetes, domum, vel publicum aliud ædificium permitteret, cum possit impedire: qui tamen voluntaria permissione actionis illius in amente inculpabilis factis voluntarij apponeret, vt alterius factum ex obiecto malum sibi imputaretur ad culpam. Sed instat Lugo poterat verbum licitè interficere humanitatem sibi vnitam: ergo, & errorem illius permittere. Negatur consequentia. Vnio enim personalis non eximit humanitatem à supremo dominio verbi, sicut intra regimen verbi in operando constituit. Quod si diceret. Potest verbum permittere humanitari seipsam occidere inculpabiliter, quod ex obiecto malum est, quin verbum peccet: ergo, & incidere in errorem paritas quidem esset; sed negandum antecedens foret. Denique opponit. Potest verbum permittere humanitatem vnitam in amentiam incidere: ergo, & errare. Sed, si loquatur de amentia, cui etiam inculpabiliter causam humanitas daret, negandum esset antecedens: eadem enim est ratio, ac de errore actuali; secus si de amentia sine concursu, siue cooperatione humanitatis, etiam inculpabili, quæ cooperatio nequit in errore deficere.

6 Constat hinc, quid in ea quæstione, quam hic decidendam ex d. de Christi impeccabilitate asseruimus dicendum sit: an scilicet humanitas Christi potuerit materialiter absolute peccare asseruat Lugo d. 26. sect. 4. num. 48. expresse: videturque à firmaturus Vasq. d. 61. num. 55. admittens potuisse esse in Christo motus inordinatos appetitus sensitiui, quia nisi rationis consensus accederet peccata non sunt. Sed negandum tamen est: quia, licet ex inadvertentiâ actus materialiter malus possit malus non esse, inuò ex errore amentioris humanitati, tamen nequit non verbo vnito ex obligatione regiminis, & gubernationis humanitatis culpabilis esse. Sed instabis denique error non est ita intrinsecè malus ex obiecto, vt nequeat ex fine honestari: ergo ex fine offendendi veritatem humanitatis assumptæ potest.

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

tuit honestè, & humanitas errare, eiusque error à verbo, permitti quemadmodum Philosophos, quod ei scientiæ suæ gloriam non tribuerunt. Sed euicuerunt in cogitationibus suis tradidit Deus in reprobum sensum: Dæmonesque quos diè infusus erroribus punit. Respondetur tamen errorem esse intrinsecè malum: quare nec posse accedente voluntario sufficienti non esse peccatum tam humanitatis voluntariè errantis, quam verbi in sibi vnita permittentis in Deo respectu Philosophorum alia est ratio: nam permissione ipsa peccati formalis punire delinquentes potest, atque physicam entitatem peccati, prout ab ipso est, velle quare, & errorem damnatu infundere.



Q V Æ S T I O II.

De Christi Domini admiratione, & risu.

ADMIRATIONEM, ac risum in eadem cogimus quæstionem, quia hanc risus supponit, ac proinde quidquid admirationem impedit alicui, & risum impedit.

CERTAMEN I.

Nusquam in Christi humanitate fuit admiratio vera.

1 Legimus Matth. 8. Christum Dominum Centurionis fidem miratum dixisse tantam se in Israël fuisse non inuenisse. Maldonatus ibi num. 10. nonnullos refert existimantes eam admirationem veram in Christi humanitate fuisse. A qua sententia, dum alij longè abscedere apud eundem vellent, nescio an aliquid recesserint. Etenim illam ipsam explicatius propositam sectantur. Præmissa enim multiplici Christi scientia creata, infusa nempe per se, & per accedens, atque experimentalis e rerum euentibus, occurrentibusque obiectis captam, de quibus nos d. 1. aiunt: de iis, quæ scientia experimentalis nondum Christus nouerat, licet aliis scientiis ea ipsa illi innotescerent potuisse veram animo admirationem concipere: cum autem Centurionis fides eo vsque experimentaliter Christo nota non fuisset, quia eo vsque euentus non occurrerat; verè de ea fuisse miratum Christum: sed contra: quia si de iis, quæ nondum experimentaliter nouimus, licet alias nobis notissimis, mirari possemus: cum nemo ante rerum euentus eas experimentaliter nouerit, sapientissimus quisque æquè, atque ignarissimus, de omnibus miraretur. Secundo quia non solum de eis, quæ certo aliunde nouimus, sed quæ præsumptione, & coniectura prudenti euentura præuenimus cum eueniunt, ac denuo experimentaliter nouimus non miramur. Ergo multo minus Christus fidem Centurionis, quam clare prænouerat miraretur, cum euenit, atque illam denuo experimentaliter euentu ipso nouit.

2 Vera igitur nostra, & concors Theologorum omnium, qui hac de re disputarunt, sententia est: Christum miratum verè nunquam fuisse, etiam Centurionis fidem: vt eo etiam Matth. loco Patres, atque interpretes omnes constanter docuerunt, ibi docent miratum dici, quia ad eximiam Centurionis fidem commendandam ea signa Christus fecit, quæ admirantes facere, atque exhibere solent. Sic Deus iræ incapax iratus dicitur cum dure punit: quia id ipsum irati homines facere consueverunt.

X x x 2 Ratio

Ratio à priori ad manum est. Quia vera, ac stricta admiratio de iis solum concipi potest, quæ de uo sciuatur, atque absolute antea ab eo, qui illa miratur ignorabatur: atqui Christus, & Centurionis fidem, & futura reliqua ab ipsa sui Conceptione clarè nouerat, ut vidimus: ergo nec Centurionis fidem, nec futurorum aliud ante eorum euentum absolute ignorabat: ergo neque, cum eueniebant, ac de uo experimentaliter nouerat, aliquid eorum mirabatur. Sed, ut auditoribus fidem, ad quam eos volebat accendere, Centurionis commendaret, ea tunc dixit, fecitque, quæ mirabundi affluebant exsistere.

3 Hæc porro expressa, constansque fuit Augustini sententia ad eum Matth. locum. Etenim. I. contra aduersar. leg. & Prophetar. c. 7. sic habet. *quisquis miratur, secundum consuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatum, atque improuisum sibi esse significat, quod miratur. Sed Iesus, qui omnia presciebat, quod mirandum aliis predicabat, mirando laudabat.* & 1. de Genes. contra Manich. cap. 8. *quis animum in illis fecerat illam fidem, nisi ipse, qui miratur? quod si, & alius eam fecisset, ut quid miraretur, qui prescuerat? quod mirabatur Dominus nosse nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moueri. Omnes igitur tales motus eius, non perturbari animi sunt signa, sed docentis Magistri. Quid precor ad rem hanc dici, siue clarius potuit, siue illustrius?*

CERTAMEN II.


Nec potuit Christi humanitas de aliquo mirari.

1 **R**es hæc ratione, quam pro antecedenti conclusione dedimus satis demonstrata videbitur: sed tamen nisi aliquid addatur minus, quam par est, conclusio hæc ratione illa euincetur. Si enim verum sit, quod Vasq. d. 53. cap. 2. num. 18. §. *Alterum vero docebat: nempe Christi humanitatem non semper in actuali omnium futurorum cognitione perstitisse de rerum euentibus admirationi non admodum angustus aditus videtur patere. Ponere enim per aliquot, neque admodum paucos annos grande aliquid destitisse Christum cogitare, ac demum illud coram ipso euenire: cur illud non miraretur? tunc enim ante aduersionem olim obiecti illius cognitio adeo oblitterata esset, ut ad præueniendum contra admirationem animum, atque ut eius cognitionis experimentalis nouitatem admirationi necessariam denudaret, penè non fuisse videretur: ergo illud posset Christi humanitas mirari.*

2 Dices species, difusas, atque habituales Christi tandiu etiam de obiecto illo actualiter non cogitantis, scientiam satis esse, ut eius humanitas contra obiecti nouitatem, atque de illo admirationem præueniretur. Mitto nunc scientiam habituales solum actibus acquisitam, quæ sola intento respondeatis posset in seruire nullam ab speciebus diuersam esse. Contra quia videmus senes gnaros ante quibus, & habitus, & species præcognitorum ad sunt, ut obiectorum similitudinem, de similibus, imò iisdem de uo uisus mirari, ac ridere, quod extremum nusquam sine admiratione fit. Videmus item Doctores vetulos apprimè olim in suis facultatibus instructos, præclarosque Magistros, ad eorum, quas ipsi docuerunt propositiones auditas mirari sæpè, ac penè obstupescere: cum tamen eis, neque earum scientiarum habitus, neque species desint, neque per oppositos actus perierint. Adde habituales cognitione, & specie impressa obiectum menti formaliter non præsentari: quare cum præterita cognitio temporis tractu profus elanguit æquum ferè nouitatem menti obiectum ingerere, ac si nunquam cognitum fuisset.

3 Nihilominus præfixa conclusio non mutat. Primum quia humanitas Christi ab initio conceptionis, ac deinceps in actuali omnium obiectorum suarum infusarum scientiarum cognitione perstitit semper, ut supra d. 1. dicebam, nisi spatio illo breuiculo, horti, quo spontè à leui obiectis animum auertit, ut tristitia, & anxietate faceret locum. Cum enim ad eius scientiam vltimè conuersio ad phantasmata opus non haberet, quæ facile omnia simul, atque eorum obiecta singula cognoscebat. Secundum quia, licet non semper in actuali omnium clara cognitione fuisset, tamen pro loci, & temporis opportunitate, & alia, præcipuè notabiliora actu cognoscebat: quare nullibi ei inopinatum accidere, occurrere potuit. Tertio: quia, licet habitus, & species obliteratae animum contra obiecti nouitatem, & de eo admirationem concipiendam non arment, ut exemplis datis euincitur: at Christi domini memoria, sicut reliquæ humanitatis ipsius potentia, viuida, firma, ac perfectissima fuit, quod factum erat, ut res antea cognita, nec nouitatem menti ingerere, neque admirationem.

4 De risu iis ipsis datis probatisque conclusionibus satis est definitum nec in Christo fuisse: quod satis probatur, quia nullibi ridens Christus ab Euangelistis relictur. Secundo quia cum risus admirationem necessarium supponat cum in Christo admiratio non fuerit, nec risus fuisse conuenit. Constat item neque esse potuisse risum in Christo ob eandem dependentiam risus ab admiratione, si vera sunt, quæ de admirationis impossibilitate in Christo docebamur.



QVÆSTIO III.

De Christi Domini timore.



IMORIS affectus, sicut, & admirationis voluntatis actus est: sed tamen quia hic scientia Christi, æquè atque illa, nonnullis impediendis videbitur, hic etiam de eo disputabimus.

CERTAMEN I.

In Christi voluntate rationali fuit mortis, & passionis timor, ac, & de aliorum scandalis timor, & dolor.

1 **C**Ater. 3. p. q. 46. a. 7. & 8. ratione sua. Titelm. & Len. in Math. 26. timoris affectum humane rationali Christi voluntati negant. Vtrumque autem affectum timoris, & doloris in ipsa recognoscunt. S. Th. 3. d. 11. q. 2. a. 3. q. 2. & 3. p. q. 46. a. 7. & 8. ipso Caietano teste reliqui eius interpretes Alex. q. 18. a. 1. §. 2. Henric. quodlib. 8. q. 7. Albert. M. d. citata. a. 8. fin. Scot. q. vn. §. quantum ad 3. Gabr. q. vn. a. 1. not. 1. a. 2. concl. 4. Almain. q. 1. not. med. in Corol. & concl. 4. Mai. 4. 2. Capreol. d. 17. q. vn. a. 1. concl. 1. S. Bonau. d. 13. a. 2. q. 2. corp. & ad vlt. dist. 11. in 3. q. 11. a. 2. concl. 3. & 4. Ricard. citata d. 15. a. 4. q. 2. Dur. q. 2. ad 1. Palud. a. 1. concl. opin. 3. Vasq. d. 73. c. 4. num. 23. Soar. d. 38. sect. 3. Lugo. d. 22. sect. 2. Vradigo. d. 6. dub. 2. concl. 2. Bernal. d. 41. sect. 2. æquè ut longiorem vitem catalogum scholastici reliqui. Scio inter hos adhuc esse de nemine diffidium: quibusdam asserentibus eum timorem, & dolorem fuisse in Christi rationali voluntate secundum portionem inferiorem, quæ circa sensibilia versatur, non autem secundum superiorum, quæ versatur circa æterna. Sed hi non aduertunt etiam iuxta hanc suam portionem voluntatis diuisionem de malis æternis aliorum timorem, ac dolorem.

dolorem concipi à voluntate Christi secundum portionem superiorem potuisse: secundum diuisio, & conclusio hæc absolute est falsa. Etenim diuisio portionum earum author August. superiori vocatur, quæ circa obiectum quoduis regulatur secundum regulas æternas versatur, vt docet probat Vasq. 1. 2. d. 109. c. 4. inferior, quæ circa quoduis secundum regulas temporales. Vnde conclusio falsitas patet. Cum enim Christi timor, & dolor de quouis obiecto etiam sensibili ex virtute atque honestate fuerit, de illo non nisi vt regulato, & moderato secundum regulas æternas esse potuit, quare, & secundum voluntatis rationalis superiori portionem. Sed quicquid de nomine fit constat concordem esse Theologorum sententiam eos affectus timoris, & doloris in voluntate rationali humanitatis Christi fuisse: quare neque id sine temeritate, vt minimum negari posse id quod iam pridem damnatum est tempore Alexandri ab Academia Parisiensi, grauique censura dignum iudicatur à Vasq. d. 62. c. 3. n. 17. *S. Postremo*, atque ab aliis Recentioribus.

2. De aliorum scandalo timor, & dolor voluntatis rationalis humanitatis Christi probatur ex illo, *vt mundo à scandalis*, atque illo, *vt autem homini illi*. Atque ad illud omnes vos scandalum patimini in me. Docent Ambros. Hilari. & Hieron. qui etiam Christi timorem etiam in horto, non tam de passionis, ac mortis suæ acerbitate, quam de Iudæorum in eis perpetrandis peccato fuisse his verbis asseruit. *Signanter dicit transiit à me calix iste. Id est populi Iudæorum, qui ignorantie excusationem habere non poterunt si me occiderint.* Ad quæ etiam verba Origen. vi. *mandus saluetur, & Iudæi in mea passione non pereant.* Quibus consentit Beda ad eundem locum; eos vero affectus de passione, & morte sua Christi rationalem voluntatem tunc in horto habuisse, cum verbis illis patrem orabat factis oratione ipsa Christus explicuit, atque Euangelista illis verbis *Cepit parere, ac plus satis, gutta ille sanguinis è pauore, ac timore concepto decurrentis in terram.* Huius timoris merito Martyrum fortitudinem tribuunt Cyrillus. 10. Theol. c. 3. post med. Bernard ferm. 1. de B. Andrea: Chrylost. hom. 24. in Marth. circa fin. Damasc. 3. de fide cap. 18. vbi, & cap. 23. ipse, ac Cyrillus. 4. in Ioann. cap. 1. Athan. de incarnat. Christi longè à med. Nyssen. lib. contra Apollinar. Epiphani. hæresi 69. contra Ariomanitas hæresi 76. Contra Dimocitas ex eo loco probant in Christo humanam naturam mente, & voluntate propria præditam, quia in Dei voluntatem, ac mentem, timor, dolor, ac tristitia cadere nequeunt. Ex iisdem item Scripturæ, & Patrum testimoniis Agatho. Pap. epist. ad Imperatores apud 6. Synod. act. 4. approbata act. 1. & Constantin. Pogonat. in edicto fid. act. eadem approbat à Leone pap. 2. Item Concil. Lateran. sub Martino 1. act. 5. probant, desinuntque contra Monothelitas voluntatis humanæ operationem propriam in Christo fuisse, nec solam volitionem diuinam. Adde Fulgent. 3. ad Trasimundum & cap. 21. & 22. Augustin. ad id psalm. 93. *Quorsique in fuitia conuertatur in iudicium.* Qui timoris, doloris, ac tristitiæ de morte etiam, ac passione sua in voluntate rationali humanitatis Christi admittunt fusèque probant.

3. Ita verò Fulgent. & August. affectus hocce in Christi humana voluntate probant, vt voluntarios illos, ac liberos in ipsa voluntate, ac prius in illa, quam in appetitu sensitiuo vsum libertatis minimè quoad illos in christo præueniente excitatos fuisse probent, quin potius ex libero voluntatis timore, timor appetitus sensitiui in in Christo natus est id quod docuerunt etiam Leo 1. epist. 11. quæ est ad Iulianum dicens: *Vigebat veritas affectionum sub moderamine Deitatis, ac mentis.* Sophronius epist. recitata in 6. Synod. act. 11. recepta vero act. 13. scribens: *erat namque ipse sibi reconditor (N est primus condus, seu desensero hispanè) Passionum humanarum, & actionum, & non solum reconditor, sed & arbiter.* Athanas. lib. de incarnat. Christi id Ioan. *Nunc anima mea turbata est.* Sic expendens: *Nunc idem est, quod quando voluit.* Ex quo eadem docet Damasc. citato cap. 23. Chrylost. hom. 62. in id Ioan. 11. *Infirmus spiritu, & turbauit semet ipsum* Sic

habet *Norat lacrymas excitare, & affectum arguere.* id est compescere quod fremitu ostendit, cui consentiunt August. tract. 49. in Ioan. Theophylact. & Eutyminæo locum Clitocæus 7. in Ioann. capite 20. Maldonatus, & Tolet. ad citata Ioann. loca. Ex Scholasticis vero Caiet. 3. p. q. 8. art. 1. Palud. in 2. d. 17. q. 1. art. 3. in 3. modo dicendi Durand. d. 15. q. 2. num. 5. Vasq. d. 62. c. 1. n. 2. & communiter Recent. Ea vero motuum primo primorum cohibitio non fiebat in Christi voluntate per virtutem physicam maiorem voluntatis humanæ Christi, quæ per vnionem potentior physicè effecta non est, sed impetratiuè à Deo iure enim vnionis voluntati Christi debebatur gratia præueniens, qua liberè, atque honestè motus similes appetitus voluntate præueniret, excitaret, atque excitatos compesceret, prout vellet.

4. An autem eiusmodi affectus voluntatis Christi, passiones animi strictè, ac propriè dici possint quæstio est de nomine, in qua affirmo cum S. Thom. q. 15. art. 4. vbi eos animam Christi passibilem absolute appellat, cum Vasq. vbi proximè num. 5. ex Cyril. 10. Theol. cap. 3. Damasc. 3. de fide cap. 20. sine. Ambros. 2. de fide c. 3. sine. Fulgent. 3. ad Trasimund. cap. 21. licet enim in nobis hi affectus rationem, ac libertatem præuenire, atque ad malum inclinare soleant, quorum neutrum in Christo habuerunt, non tamen inde passiones propriè, ac strictè nominantur, sed quia cum aliqua corporis passione, ac commotione fiunt, quæ vtiq; in Christi corpore non defuit; Sed tamen quia vulgari, licet non scholastica, ac propria acceptione passione animi vehementes in malum inclinationes nominantur, quibus, qui carent passionibus non habere dicuntur, cauendum merito monet Bernal. d. 4. lect. 1. num. 4. ne, dum ad vulgus haberet sermo Christus passiones habuisse dicatur, ne aliquem inordinatum affectum saltem primò primò rationis perturbatorem, ac proinde, Christi humanitate indignum imperiti intelligant: neque audiendus est Hieronymus in id Matth. 26. *Tristis est anima mea.* Affectus hocce voluntatis Christi pro passiones vocans: rationem præuenientes nimirum, vt dixerat ad id Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam.* Est quippè ea in re singularis, & reliquis Patribus datis aduersus: nec fauet Leo Pap. 1. citata epist. dicens: *sensus corporis vigebat in Christo sine lege peccati.* Nam motus primo primus in malum lege peccati inductum fuit, estque non quidem peccatum, aut imperfectio Christi humanitate indigna. Nec magis fauet 6. Synod. act. 4. & 8. statuens habere humanitatem Christi, *omnia que humana absque peccato sunt.* Quod non est motus primo primus in malum: Nam desinitur ibi contra Monothelitas, qui omnem affectum voluntatis citatæ Christi peccatum fore putabant.

5. Solus Cyrillus 10. Theol. c. 2. post med. his verbis videtur Hieronymo fauere. *Singulas passiones carnis in Christo absque peccato commotas inuenies. non vt ab ipsis hominibus superaretur, sicut, & nos, sed vt commote vincerentur virtute inhabitantis verbi: & sic natura nostra reformaretur ad melius.* Ergo admittit Cyrillus motus, sed passiones deordinatas in malum in Christi humanitate, licet verbi virtute deuidas. Respondet Vasq. loqui ibi Cyrillum de fuga, & timore mortis, quæ quidem passio, seu malum de se inclinatio non erat: quia passiones, seu malæ inclinationes sunt circa obiecta de se mala, non autem quia prohibita, vt erat fuga mortis in Christo, quæ ex prohibitione, & præcepto solum malæ erat. Contra primo: quia passiones inclinantes ad malum tales non sunt, quod in malum, qua tale inclinent, sed in bonum delectabile, quod hic, & nunc malum est, quod malum est ex præcepto prohibente, atq; ex se malum est. Contra secundo, quia venerea delectatio mala de se, & essentialiter non est, cū accedat matrimonium. mala non fit, sicut deficiente præcepto mala non sunt, quæ ideo sunt mala quia prohibita: ergo inclinatio ad illam passio non est, quare æquè, atque timor, & fuga mortis poterit in Christo admitti: quod est execrandum. Contra tertio: quia propensio, & simplex complacentia, & inclinatio ad esum carnis die venis passio est, & inclinatio mala, & tamen eius carnum non est de se malus, sed solum ratione præcepti prohibentis.

hibentis. Responderetur facilius mortis fugam inefficacem in Christo prohibitam non esse præcepto moriendi, cum voluntate efficaci acceptandi, ac non refugiendi illam ab hostibus oblatam non opponatur: quare malam adhuc ex obiecto, & præcepto non fuisse, quin potius fuisse honestam, ac meritoriam. Inclinare autem in malum possent, nisi vnio adesset, quatenus efficacem mortis fugam inferre, atque inducere tunc possent: sed tamen virtute verbi vniti, etiam in acta primo superantur, ne in eam inclinent, vt ait Cyrillus: quare neque passionibus eo sensu sunt.

CERTAMEN II.

Qua timorem, ac dolorem Christi impugnant, exarmanur.

Oppones Fulgent. 3. ad Trasimund. c. 6. dicentem *Verè passus passioni non subiaccens, mortuus mortem non sentiens. dici posset non subiacere passioni cedentem, ac deuictum Christum, atque eo sensu mortem non sensisse: sed certè loquitur de Christo qua Deus est: licet enim per idiomaticam communicationem passus, ac mortuus verè dicatur Deus; aut Deus qua talis nec passus physicè, nec mortuus est, nec mortem sensit. Oppones Aug. Enarratione. 2. in Psal. 21. ad id. *Deus meus clamaui per diem, & non exaudies. Vbi impavidum contra mortem Paulum contemplans ait. Non est fortior mihi, quam Imperator &c. Ille optat mortem, vt sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem?* nequaquam inquit. Responderetur solum negare Christi timorem, ac fugam efficacem mortis, non autem inefficacem, quam neque in Paulo negauit, sed vt naturalem affectum fateretur. A ratione opponens timorem dicere mali imminentis incertitudinem, ex qua euadendi illud spes concipi possit teste Arist. 2. Rhetoricor. c. 5. vnde inter non timentes eos enumerat qui spe extincta malis immortui sunt, veluti exivemè toris: sed opus est salutis subesse spem: pro quo luctantur. Cuius signum quod timor ad consulendum inducit. Nemo enim de re confidit, de qua non est spes. At Christi mortis, & futurorum certitudinem habuit: ergo non potuit habere spem illa vitandi, neque de illis timorem quo circa Marci 14. paucori Christi traditum, & in afflictam adiunxit, vt non de proprio timore, sed de tristitia intelligatur locutus, vt tandem concludit S. Th. q. 15. a. 1.*

2. Caietan. ibi interpretatur. S. Th. de timore voluntatis rationalis Christi, quæ cum scientia intellectuali Christi regetur, per quam certitudo mortis suæ, & malorum aliorum Christo aderat, timere, per voluntatem rationalem Christus non poterat, vt argumentum probat, quia neque eorum euasione sperare valebat: at timorem appetitus sensitui de morte sua non negasse: quia Phantasia cognoscit, qua hic regebatur solum apprehendebat mortis periculum, nec certo futuram iudicabat ex qua negatiua mali illius in certitudine poterat bene Christus per appetitum sensituum timere. Sed contra primo: quia interpretatio hæc deserit dogmaticam sententiam de timore voluntatis rationalis Christi de sua morte, ac negatiuam parum in fide tutam Angelico Doctori iniuriosè appingit. Contra secundo: quia San. Th. eo loci de timore appetitus sensitui expr. se loquitur, eum quo solum humanitati Christi negat. Contra tertio: quia ratio Caietani, & affectuum Thomistarum falsa omnino est. Etenim certitudo intellectus in sensum, derivata, vt nequeat non, vt certum, aut incertum sensu apprehendi, quod certum, aut incertum ab intellectu indicatur: sicut indicante intellectu non fore malum, quod antea imminens apprehendebatur, & futurum, ac proinde timebatur, timeri illud post hæc ab appetitu nequit. Quare: quia è sola illa negatiua incertitudine mali, nisi cognoscatur positiuè posse illud non esse, & fortisè nisi apprehendatur non fore nequit spes concipi illud euadendi, vt oportet per Thomistas ad hoc, vt appetitus possit propriè timere.

3. Lugo. d. 22. sect. 3. vt argumento satisfaciatur recurrat ad signa naturæ: vt prius natura cognouerit mortem non vt certo futuram sique, & timuerit, spem euadendi conceperit, mediæque euadendi tentauerit: nempe conuersionem ad Patrem: posterius vero natura mortem certo futuram cognouerit, sique nec sperare poterit, nec timere, vt argumento ipso conuincitur. Contra primo: quia eadem scientia infusâ mors, cuius certitudo seu necessitas humanitati Christi repræsentabatur: ergo vtriusque cognitio simul natura fuit: neque enim solum ipsum realiter se ipso prius, ac posterius natura esse potest. Secundo: ab infanti conceptionis Christus certam habuit de sua morte, cuiusque futuritione necessitatem cognitionem: ergo certitudo hæc præuenta à cognitione incerta mortis pro priori naturæ non fuit. Tertio: quia vel illa priori cognitione mortis imminentis, non autem certitudinis eius cognoscitur mors vt euitabilis, vel non primum esse nequit, quia esset ea cognitio falsa, & erronea in Christo non admittenda: secundum autem factis nouit ad spem vitandæ concipiendam: cum hæc non nisi de malo cognito, vt vitabili concipi nequeat: ergo ex eadem certitia, & cognitione non potuit Christus timere, quia, vt hic concedit argumento, cui responderet, ea solum quis male timere potest quorum euasione sperare potest, quare demum: cum Christus pro priori natura ad cognitionem certam futurorum sciret sibi certam eorum omnium cognitionem debere, imprudenter spectaret mortem vitare, mediæque ad vitandum apponeret anticipatè ad signum posterius, in quo certo sciret an illam vitare possit: ac proinde an vtiliter, an irritò vitare spectaret, atque ad vitandum mediæ possent apponi.

4. Melius responderet Vasq. d. 62. c. 3. num. 24. ex quo Soar. ac reliqui cognitionem non certe futuritionis mali imminentis, ac proinde spem illud vitandi non requiri ad timorem proprium, vt sic, sed ad efficacem: ad quem solum sequitur consultatio mediæ ad illud vitandum, ac de quo Arist. loquebatur. Nam timor, seu fuga inefficax (qualis fuit in Christo) mali non infert necessarium consultationem mediæ, licet ex eo, figurè ex quavis voluntate inefficaci mediæ possint liberè apponi, & quidem fugam voluntatis imminentis mali certo cogniti affectum esse, & passionem animi veram, ac propriam certum est: atqui non est tristitia, quæ solum est de malo præsentis, & habito, neque vlla alia passio: ergo est vera, ac propria passio timoris. Secundo spes de bono indubitanter, ac certè futuro concipi potest propriè: ergo, & timor de malo certè futuro concipi propriè poterit. Antecedens patet, quia ex S. Th. q. 71. a. 4. & communi Theologorum Christus sui corporis ris gloriam propriè sperauit, & in mea sententia fuisus tradenda. d. 4. plura alia, quæ certo sibi futura nouerat. Consequentia est certa, & in qua, vel maximè illud axioma tenet oppositorum eadem est ratio. Tertio: eadem vi consequentiæ sic arguo: de ratione spei propriæ de bono futuro non est timor: illud amittendi: ergo nec de ratione timoris proprii de malo imminenti erit spes illud vitandi: quare neque cognitio euitabilitatis eiusmodi imminentis mali. Ratio à priori: quæ nequit esse de essentia actus connexio cum actu sibi opposito, atqui spes est actus oppositus timoris proprii: ergo nequit esse de essentia timoris proprii connexio cum actu proprio spei, neque contra, huius cum actu timoris: ergo alteruter sine altero esse potest. Secunda ratio à priori sit: quia cognitio minuens, ac retrahens obiectum proprium actus nequit essentialiter ad illum requiri: aut cognitio de incertitudine futuritionis imminentis mali minuit timoris proprii certitudinem: ergo nequit ad timorem proprium requiri.

5. Accedunt exempla plura, & obuia: nam potentiam amarum, scissionem venæ, cauterium, & injunctio de similitudine quæ salutis causa passuri certo sumus, atque christiano animo elegimus iam iam executi, ac passuri timemus. At in quibus rationes hæc à priori in timore efficaci infringi, quem, & cognitionem incertitudinis imminentis mali requirere, & coniunctum esse cum spe illud vitandi, & conuersionem

consultatione mediorem ad illud vitandum cum Aristotele admittimus; sed tamen timorem efficacem non putet in ratione timoris maiorem, atque quasi intentionem esse. Minus enim timet, qui efficaciter timet, quia malum evitabile putat, quam qui timet ineffaciter, quia videt malum imminens esse inevitabile, v.g. si inimicus nos gladio confossurus inermem, & ac reuinctum adortur; plus, ac vehemens timet, quâ si solum, & armatum impeteret: at in primo casu timor ineffaciter erat in secundo efficacior. Efficacia ergo non est in timoris vehementia, sed in mediorem appositione, ne sit malum, quod timeretur ad quam requiritur cognitio evitabilitatis, quæ quidem minuit timori vehementiam, quæ adesse, si idem malum inevitabile cognosceretur. Sicut boni sperati incertitudo, & contingencia minuit fiduciam, siue confidentiam spei, licet solertiores reddat, ad media apponenda plura: quare ratio vltima firma semper est. Prima autem non dicit non posse esse timorem mali futuri, sed non necessario connecti ex genere: cum ex genere opponantur: licet in specie possint coniungi, quia timor, qui est fuga mali imminens, si accedat certitudo de eius futuritione in desperationem agit, si vero absit ea certitudo, absque probabilis evitabilitatis, vel non futuritionis, agit in spem illud vitandi, & consultationem de mediis illud euadendi, ex quo vltima ratio confici ad nostrum institutum facile potest.



QVÆSTIO IV.

De Christi Domini tristitia.

DEST grauiissima huius disputationis difficultas cum ob hanc locum: tum maxime ob rationem, quæ Doctores in varias semitas egit.

CERTAMEN I.

Rei difficultas vtraque, & secunda Doctorum aliquorum solutiones consutata.

Tristitiam in Christi anima, & rationali voluntate admittunt Patres ac Theologi omnes (si Caiet. Titelm. & Iansen. citatos q. 3. cert. 1. num. 1. excipias) qui q. 3. cert. 1. dolorem, ac timorem in eadem admittunt, eamque probant eadem Scripturæ testimonia, Patrumque, & Conciliorum argumenta eadem, & definitiones ex horti tristitia ab Euangelistis concordia historia notata contra eosdem Hæreticos petita: quare eis repetendis expendisque hic abstinemus. Sed est tamen contra hanc conclusionem difficilis locus Isaïæ 42. quoad tristitiam Christi de sua morte, & passione: vbi absolute de Christo ait, *Non erit tristis*. quo nihil videtur clarius dici posse. Mitto explanationes plures maioris moliminis, quam veritatis, & ingenuitatis: ac facile, & genuinè respondeo *Tristem* ibidem significare, ac truce, torum, vultuque iracundo non fore; id quod Hebraica lectio satis eleganti Phrasi significauit. Habet enim *Non fumigauit*: id est ira fumus naves illius non ascendit, hispanè *No se le subira el humo alas narizes*. quod valdè sequenti textui consonat; sic enim pergit Isaïas: *Neque turbulentus donec ponat in terra iudicium*: tunc siquidem præira in caelestos fumigabit, quæ sanè interpretatio eo magis nobis arrisit, quod ipsissima sit Hieronymi ad eum locum expressio verbis hisce. *Natum tenuit vultus tristitia, nec festinauit ad penam, qui iudicij veritatem vltimo tempore referuauit.*

2 A ratione vero duplici ex capite tristitia in Christo pugnare videtur. Primum ex summi boni visione;

iudicat enim illa ipsa beatus, ac proinde iudicabat Christus necessariò satis boni sibi in illo esse, ne dum illud habet de bono alio, siue positio, siue negatio curet, tristitia autem oritur ex iudicio de querendo; curandoque alio negatiò bono, seu malo imminenti fugiendo. Quod quidem iudicium cum primo illo pugnare videtur. Secundum cum è summi boni visione summa in voluntate delectatio oriatur nullus tristitia (præcipuè adeo, atque in Christo fuit vehemènti) de obiecto tristitia concipiendæ videtur locus remanere iuxta Aristotelis doctrinam 7. Ethicor. c. 14. & quotidianam experientiam. Cum enim nimium gaudemus de his, de quibus alioqui tristamur, minimè tristamur. Cuius ea ratio est: quia quando gaudij obiectum summum; imò & vehemens bonum est, ita fortiter ad gaudium rapit voluntatem, tristitiquè obiecti inferioris in sua linea vires ad tristitiam inducendam debilitat, vt eam nequeat inducere. Idcirco, vt aliquid leniamus, vel depellamus tristitiam, vehemèntia gaudij, atque oblectationis obiecta, & incitamenta ipsi proponere curamus; quæ sanè rationes vehementem Christi tristitiam Catholicè assertam plus satis impugnant.

3 Difficultate percussus Melchior Canus 12. de locis c. 14. sub fin. vt tristitiam Christi vehementem Catholicè defenderet illi passionis tempore visionem beatam, ac Deo viso gaudium negauit: ita vtroque volente ad passionis redemptricis acerbitatem. Probat ex illo ad Hebr. 12. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*. Atque ex Ambrosio. 10. in Luc. c. de dolore ac tristitia Christi sic aient: *Sequestrata delectatione diuinitatis eterne radio mea infirmitatis afficitur*. Ea vero in re singularis, nec sine temeritate, vt doctè ait Soar. Canus fuit: & componendæ difficultati commodo exiguo. Etenim toto passionis tempore visionem, & gaudium de Deo viso, neque in horto solum negare Christo cogetur contra Catholicos omnes Doctores. Secundo in Lazari suscitatione, ac deuastatione Hierusalem prænunciata, quibus in casibus ad lacrymas vsque Christus Dominus tristatus est. Ac demum cum toto vitæ mortalis tempore de Dei offensis ab hominibus eorumque ingratitude, & perditione ad angorem tristaretur, oportet, vt illum de visione Dei, gaudioque de Deo viso continuo caruisse Canus fateatur. Pauli locus tantum à Cani sensu abest, vt illo exprimat gaudium de Deo viso, & glorificationem redemptione habendam ad passionem, ac mortem subeundam motiuo Christo, atque incitamenta fuisse. Ambrosius vero *Sequestratam*, dixit delectationem, id est sine vsu tristitiæ impediendæ; vt sequestratis euenit bonis, repositam non amissam.

4 Thomistæ alij 3. p. q. 46. art. 8. respondent vnus obiecti tristitiam qualemcumque cum qualicumque gaudio obiecti alterius minimè pugnare, quæ solutio videtur S. Th. ibi Albert. M in 3. d. 15. art. 4. Ricardi art. 4. q. 2. ad 2. ac ferè nostri Granad. tract. 13. d. 2. num. 10. Hæc autem solutio integro robore rationes, & difficultates propositas omnino relinquit: quare, & à reliquis Theologis merito reicitur Gabr. in 3. d. 15. art. 2. q. vnic. art. 3. dub. 3. Almain. q. 1. dub. 3. sine Scot. q. vnic. §. *Ad primum principale*. & §. *ad secundum*. Dur. q. 3. num. 40. Argentina q. 7. art. 2. ad 1. Caiet. loco citato 3. p. Vafq. d. 73. cap. 3. num. 28. & Soar. supra dicunt pugnam gaudij, & tristitiæ de obiectis diuersis naturalem esse, non autem de potentia absoluta, vt ex rationibus datis patet: quare vtrumque simul componi potentia Dei absoluta potuisse, sicut & contraria coniungi simul eadem potentia possunt, licet ex natura rei inuicem sibi repugnent. Ad dic Soar. exemplum aliud de compossibilitate assensus, & dissensus circa obiecta diuersa. Sed cum hæc compossibilitas ex natura rei sit, plus probat, quam Soarius velit exemplum, atque illo ad Thomistarum solutionem, quam reprobat ipse relabitur. Cæterum solutio hæc secunda non satisfacit difficultati primæ de contradictione duplicis illius iudicij. Secundo impossibilitas gaudij de summo bono, & tristitiæ de malo alio non est formalis, & contraria solum, siue actuum contrariè, & formaliter solum inter se pugnantium, cui Deus annuere, vel non proinde possit, prout velit, conferendo contrarium sin præsentia

praesentia alterius sed est etiam impossibilitas antecedens, & in actu primo ex parte motiuorum actus vtriusque: quia nimirum obiectum triste in conspectu obiecti, seu boni summi, de quo vehemens concipitur gaudium mouere ad tristitiam nequit, quae ratio in Vasq. sententia 1. p. d. 2. c. 2. de impossibilitate actus fidei cum clara obiecti visione ob defectum virtutis motiuæ ad hominem contra ipsum conuincit: sed & ex natura rei contra omnes.

5 Sic argumentor inuariato obiecto tristi coram summo bono clarè viso nequit variari, esse fortius vis eius motiuæ at potentia absoluta non variatur obiectum triste: ergo nequit esse potentior vis motiuæ eius coram summo bono clarè viso potentia absoluta, quam ordinaria. Dices vim motiuam non esse in obiecto nudo, ac secundum se, sed vt representato, posse autem à Deo ita representari potentia absoluta, vt magis, ac fortius mouere possit, quam si ordinario modo representaretur. Impugnant Recentiores Complutenses: quia sic representatum naturaliter moueret ac sine miraculo. Sed quid inde; si ea representatio supernaturalis est? Melius impugnatur primo: quia tota vis motiuæ obiecti stat in claritate cognitionis, quare representatur voluntati; atque Christo representabantur mors, & reliqua obiecta tristitia summa claritate, & tamen per vos naturaliter, & potentia ordinaria non habebant vim motiuam ad tristitiam coram Deo summo bono clarè viso: ergo neque cum potentia absoluta per supernaturalem cognitionem representarentur; quia supernaturalitas non facit clarius obiectum triste penetrari, quam cum perfecta visione, & intuitione videtur: imò non apparet quomodo supernaturali cognitione obiectum purè naturale, vt mors, & passio Christi representari potentia absoluta illi possent, nisi cognitione fidei, qua minus longè clarè, quam intuitiue representaretur. Secundo nulla possibilis cognitio obiecti tristis est carior, nobilior, perfectior, imò neque aequè perfecta, ac visio beata Christi, ergo cum hæc habeat, ac proponat, vt obiectum Deum summum bonum magis de se motiuum, ac cæteris paribus debilitatum vis motiuæ obiecti tristis, neque potentia absoluta poterit hoc ad tristitiam mouere: Tertio denique quantumuis obiectum triste diuinitus representetur fortius, ac vehementer, nequit iudicium illud necessarium ad tristitiam. *Negatio mortis mihi curanda est.* Consistere cum illo visionis beatæ. *Nihil ulterius boni, siue postini, siue negatiui curandum est,* vt ratione prima dubitandi à nobis proponeretur num. 2.

CERTAMEN II.

Aliorum solutiones reuicte.

1 Bernal. d. 41. sect. 2. num. 26. ait in obiecto tristi, etiam coram summo bono viso, & gaudio summo, aut vehemèti ex eius visione concepto, vim motiuam ad tristitiam esse, si attendere, non mouere autem de facto, quia præ gaudio vehemèti, vel non attenditur, vel parum, ac proinde parui fuit. Cum autem in Christo, ac Beatis perfecta adsit malorum, siue obiectorum tristitiam cognitio tristari de eis naturaliter ipsos posse: imò fore tristandos, nisi Deus miraculose virtuti motiuæ obiectorum tristitiu abnueret: annuit vero illi cum Christus tristabatur. Solutio hæc aduersatur Theologis omnibus, qui negationem tristitiæ in Beatis naturalem esse docent in Christo vero miraculosam. Aduersatur Ambrosio recitato cert. 1. num. 3. atque Aristoteli citato numer. 2. Aduersatur rationi. Nam quantumuis obiectum triste attendatur, & cognoscatur perfectissimè reputatur, atque est exiguum malum comparatione vehemèntioris boni, ac multo magis comparatione summi boni clarè visi, ac possessi à Christo, & Beatis: quare non poterit naturaliter, imò neque supernaturaliter illos mouere ad tristitiam: cum semper infinitus excessus summi boni in sua

permaneat, atque ex alia parte excessus ex parte cognitionis representantis obiectum triste in Beatis non fiat, sed etiam inferioris respectu visionis beatæ, ac respectu visionis Christi nequeat esse in representatione obiecti tristis excessus, sed necessariò debeat esse inferioritas

2 Lugo d. 22. sect. 3. num. 36. respondet argumentum conuincere simul natura, vel prius natura adit Christum visio Dei, & gaudium beatificum, secus autem si prius natura proponatur obiectum triste. Tunc enim non impeditur pro illo priori vis motiuæ ipsius ad tristitiam visionem, & gaudium summi boni, quod pro illo posteriori natura non est, sed pro posteriori ad tristitiam conceptam, licet simul tempore cum illis adsit, quia posterior natura ad illas donatur; sicque data Christo in hoc, ac toto passionis tempore visionem Dei, ac beatam delectationem posteriori natura, quam cognitionem passionis mortis, cæterorumque obiectorum tristitiam, conceptamque de illis tristitiam. Solutio impugnat Bernal. vbi proximè num. 22. pluribus inefficacibus argumentis: quippe quæ ei innotuitur principio, quod etiam reipia visione Deus, ac Deo viso gaudium, atque obiecta tristitia, siue absolute futura, siue existantia vltà à Christo fuere: respectu autem sui ipsius nihil esse potest prius, aut posterius natura. Sed negat facile principium Lugo nam pro priori natura obiecta tristitia per scientiam per se, vel per accidens insulam proposita docet. Melius impugnatur ad hominem, quia negat d. 27. sect. 2. visionem Dei datam Christo dependenter ab eius actionibus, quia in visione est ius adæquatum ad visionem beatam, neque est aliud expectandum.

3 Dices non expectandum, vt merium, non autem conditionem arbitriam Dei, ex sine tristitia humanitatis, quæ alias nequit defendi sed ostendam alio modo defendi tristitiam humanitatis cert. 3. ac statim hoc modo non posse defendi. Vnde constat secundo sine vilo fundamento in scriptura, aut ratione Theologica ponit visionem dependenter à tristitia tanquam à conditione Tertio: si tristitia, vt de facto in Christo fuit honesta, ac meritoria expectata pro priori natura est à Deo ad visionem Christo donatam, cur non, vt merium ipsius? Sed quidem duplici motiuo adæquato dari non repugnat gloriosiusque Christo erit meritis partem etiam habere impugnatur secundo solutio: quia vt id in initio passionis admittatur, aut non pro reliquo passionis tempore cum visio permanens, imò natura sua, imò, vt plures volunt essentialiter perpetua sit: quare, vt duret dependentiam à tristitia non exigit imò essentia respicit sua. Impugnatur tertio: quia non solum toto passionis tempore, sed cum vrbis deuastationem prædixit, ac Lazari reuocatum patrauit, quibus in casibus tristitiam Christum in Euangelio legimus: imò toto vitæ tempore, quo de hominum saltem peccatis tristatus est, posterior natura tristitia datam visionem Dei, & gaudium beatum Christo tenetur asserere. Quarto denique: quia iudicia videtur summum bonum, & aliud necessarium ad tristitiam concipiendam de obiecto tristi pugnant contradictorie vt arguebatur, ergo nequeunt simul tempore, licet pro signis naturæ diuersis consistere, multoque minus vnum contradictorij existentia pendere ab existentia similiter alterius.

4 Acutius reliquis viderunt Albertin. 3. d. 15. art. 4. Bonau. d. 16. a. 2. q. 2. ad 2. quorum rationem refert Gib. d. 15. q. vnic. art. 3. sequunturque Vvadingo, & recentiores Complutenses. Aiunt ergo componi posse gaudium, & tristitiam, cum tristitia se habet vt obiectum materiale gaudij quemadmodum pænitentis de peccatis dolens gaudet de ipso peccatorum dolore. Verum doctrina hæc vt bene vidit Vasq. d. 73. c. 3. num. 27. non euacuat difficultatem, quæ non stat in eo, quod tristitia de aliquo obiecto gaudij materia esse possit, sed quomodo cum visione Dei, gaudijque summo de isto obiectum directum tristitiæ illius quæ materia gaudij alterius futura est mouere ad illam possit ob rationes in contrarium adductas: in quibus, si nulla adest maior difficultas, quam in eo, quod tristitia materia gaudij sit, siue miraculo in Christo

Christo, ac Beatis tristitia admittetur contra Theologos omnes, contra Aristotelem, & contra Ambrosium, ut numero 1. contra Bernalis solutionem arguebam. Vvadingo, & ex ipso Complutenses Recentiores aiunt si Deus visus veli videntem, deque eo ipso gaudentem tristitari de malo proprio, ut voluit Christum tristitari, gaudium de Deo viso inclinare gaudentem, ut de suo malo tristetur, ac Deo placeat tristando: unde gaudium de Deo viso non impedit tristitiam Beati, sed imperat potius, ac imperatiuè ponit. Propōnitur enim, ut noui gaudij materia, & appetibilis in Dei obsequium, atque, ut Deo viso placens: quo in casu licet Dei voluntate illa posita naturalis sit in Beato tristitia, aut absolutè supernaturalis, & miraculosa tristitia illa est: quia voluntas illa Dei contra exigentiam status beatifici, ac visionis Dei habetur. Ecce obiecto tristi additur motuum appetibilitatis ob Dei voluntatem de tristitia Beati, & Christi: tolliturque iudiciorum illorum repugnancia: sicut iudicium illud videntium summum bonum est de non curando bono alio extra Deum, cuiusque voluntatem, intra quam iam tristitia de malo proprio est.

5 Vero quidem hæc proximiora, sed necdum vera sunt: gaudium quippè nullius alterius affectus actiuum est quare neque imperatiuè tristitia esse potest. Totum enim gaudium circa bonum possessum est quo fruimur, solumque mouere sui experientia, ut obiectum, poterit voluntatem, ut diutius bono illo frui velit, atque ea aueretur, quibus privari boni illius possessione, & fruitione posse nouerimus, quæ præterquamquod non dicunt imperij, & efficacis motionem in gaudio respectu alterius affectus, sed solum obiectiuam motionem in gaudio beatifico, & certitudine perpetuitatis eius, quam habent Christus, & Beati locum non habent. Secundo: quia cum Christus ratione vniuersalis hyposthatice, summè moraliter perfectus sit, atque proinde determinatus ex parte antecedentis sine prædeterminatus ad opera consilij etiam, ac se omnino conformandum voluntati diuinæ non solum efficaci, si hæc cuiusque notitia ex parte antecedentis Christo Domino adsit, ut tristetur in Christi tristitia, libertas honestas, & meritum æquè difficulter, atque in operibus præceptis defenditur: imò ab his Recentioribus nec difficulter defenditur, ut constat ex impugnationibus quas de præceptorum operum merito disputantes contra ipsos dedimus. Quod argumentum efficacius adhuc impugnat modum alium Recentiorum componendæ tristitiæ Christi cum gaudio beatifico ipsius: quia nimirum eodem realiter gaudio, & de Deo, & de obiecto Deo placenti, nempe tristitia Christi, Christus gauderet; ac proinde neque gaudio de Deo identicè comitante gaudio de tristitia impediri hæc posset antecedenter, neque vlla iudiciorum illorum repugnancia posset apparere. Sed certè tristitiæ libertas euertitur, & reliquæ difficultates non magis hæc via, quam proximo modo emolluntur, ut consideranti signa naturæ ante tristitiam conceptam patebit: quin Deo viso quò pacto à voluntate Christi aliquid vterius ad gaudium de Deo, ad quod impos rapitur, expectetur non satis capitur nisi miraculosam concursus diuini suspensionem ad gaudium, quousque adsit tristitia Christi, de qua simul identicè Christus congaudeat sine fundamento admittamus.

CERTAMEN III.

Solida difficultatum contra tristitiam Christi solutio, atque eius propugnatio.

1 Deo primo de obiectis Deo inuisis, peccatis nempe aliorum naturaliter sine vilo miraculo tristatus verè Christus fuit. Est conclusio expressa Petri Vvadingo, disputatione sexta, dubio secundo, conclusione secunda. Cuius ratio facilis, & firma. Nam

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

quo gradu aliquem amamus eo etiam de ipsius malo, vel obiecto iniucundo ipsi naturalissimè tristamur: atqui Christus Deum ex eius visione vehementissimè amabat: ergo naturalissimè de hominum peccatis, Deo nimirum iniucundis, illiusque offensis vehementissimè tristabatur. Ecce Dei bonitas summa, quæ gaudium summum è sui concupiscentia in humanitate Christi excitabat, atque obiecta tristitia ad mouendam illam ex concupiscentia ad tristitiam debilitabat, ad tristitiam de Dei visis, & amati offensis ex Charitate æque fortiter impellebat, quo & cessat difficultas de inferioritate motui ad tristandum de Dei offensis ex Charitate, atque ad gaudendum de Deo ex concupiscentia adest: quare neque oppositum motuum huius gaudij motiuo illius tristitiæ, cum hæc ex concupiscentia non sit, sed & omnis illa iudiciorum repugnancia quiescit. Etenim iudicium illud videntium Deum: *Nilil mihi ultra boni, siue positui, siue negatiui curandum est.* Ex concupiscentia curandum intelligitur: neque aduersatur proinde huic iudicio ad tristitiam ex Charitate concipiendam necessario. *Curandum mihi est de bonis Dei amati, siue positui, siue negatiui ad gaudium, ac de malis ad tristitiam.* Displicet vero in Vvadingo, cui adeo expedire solutionis substantia debetur. Quod numero 10. eam ex indentitate Charitatis & gaudij de Deo viso, quam falsò docuit Valentia 1. 2. disputatione 1. punto 4. velit pendere, cum est verum illud principium esset pendere ab illo solutionis doctrina nunquam posset, ut patet.

Sed neque id solum in eo displicet: sed etiam quod tristitiam in sola mali præsentis displicentia, sine animi dolore, & anxietate quod auerere illud non possit tristans constituat, atque esse proprie in Beatis admittat, quod est singulare, ne temerarium dicam, contra Theologos omnes contra illud Apocalypsi *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Contra illius status foelicitatem supremam, in quo si tristitia propria admittatur, & admitti timor debeat: Cum sit in Beatis vehemens desiderium, licet sine dolore, & anxietate, ne ab vilo offendatur Deus. Displicet tertio, quod eam anxietatem, & dolorem, quem tristitiæ negauit, ut malè Beatis tristitiam de Dei offensis propriam affigeret, ab eis seius depellar. Ait enim ibidem ex visione Dei iudicant esse bonum conformare se cum Dei voluntate permissiua peccati. Contra: quia ea conformitas non tollit detestationem peccati, atque auersionem, & fugam voluntatis ab illo, licet tollat à permissiua voluntate fugam; auersionem, eiusque detestationem: imò nec per te tollit de peccatis tristitiam: cur ergo tollit in Beatis de illis peccatis Dei offensis dolorem, & anxietatem? Secundo in Christo perfectius iudicium de bonitate conformitatis cum Dei voluntate permissiua adsit, perfectiorque quam in Beatis cum illa conformitas, & tamen per te, & per Patres ac Theologos omnes fuit de Dei offensis dolor, & anxietas: ergo non obstante eo iudicio, & conformitate Beatorum erit dolor, & anxietas nisi aliunde impediatur de offensis Dei. Respondet n. 11. ex munere redemptoris tollendi, atque impediendi hominum peccata, nasci in Christo desiderium efficacius illa auerendi, ac de non impeditis, sed existentibus dolorem, & anxietatem, quod auereri nequeunt. Sed contra, quia ex munere Redemptoris non incumbat Christo de peccatis hominum tristari, atque anxietari, & affligi, sed vel eos vitare, vel admissa abolere suis meritis. Secundo cum in huius doctrina, & obligatione conformandi se cum voluntate diuina permissiua peccati impediatur in Beatis anxietas, & afflictio de peccatis admisis, atque ea obligatio, & conformitas ex munere Redemptoris in Christo non cesset, non poterit ex eo munere in huius doctrina de admisis hominum peccatis magis, quam Beati anxietari.

3 Obiicies contra Christi tristitiam de hominum peccatis, atque in Deum offensis ex illius Charitate, quia tristitia ex charitate alterius solum de iis, quæ mala, & damna ipsius reuera sunt, esse potest: atqui aliorum peccata reuera dāna, & mala Dei non sunt per nos ergo

Yyy nequibai

nequibat esse in Christo tristitia de illis ex Dei Charitate. Secundo tristitia solum est de malo à patiente incurtabili: ideo enim de malis quæ voluntariè incurrimus non tristamur: atqui peccata omnia euitabilia à Deo erant. ergo Christus de eis ex Charitate Dei tristari non poterat. Ad primum nego maiorem: satis enim est, quod obiectum inuisum, ingratumque amico sit, vt de illo ex eius amore tristemur. Ad secundum nego etiam maiorem, nam de malis voluntariis amicorum ab ipsiſque euitabilibus tristamur sæpè in stabis saltem de malis proximi, quæ vitare illi potuimus, nostraque voluntate, inſuximus ex illius amore tristari non possumus: atqui Christus potuit vitare voluntate, & oratione sua sua efficaci peccata omnia, quæ ad sui existentiam, & incarnationem supposita pro priori naturæ non sunt: cum totum salutis nostræ negotium plenè fuerit à Deo Christi Saluatoris voluntati commissum: ergo de admissis Dei offensis non potuit ex illius Charitate Christus tristari. Argumentum in Vvadingo doctrina, qui ideo Deum de peccatis nostris sibi infensis, siue offensis tristari non posse ait, quia ea vitare potuit intentum concludit. Respondeo tamen distinguendo maiorem. si adſit mali inducti voluntarietas in non euitante, siue permitte, permitto maiorem (licet falsa absolute sit: siquidem de malis, quæ voluntariè in alios induximus, & in nobis siue phisicis, siue moralibus sæpè tristamur) si desit in permitte siue non euitante voluntarietas mali inducti, nego maiorem: at in Deo, & Christo necessario desuit peccatorum nostrorum voluntarietas, etiam cum illa in nobis permittunt, nec vitant cum possent: tunc enim etiam inuoluntaria illis, inuisaque sunt vt latè ostendimus controu. de peccatis.

4 Oppones contra assertum tristitiæ Christi de aliorum peccatis ex Charitate Dei connaturalitatem Ambrosij locum obiectum à nobis contra Bernalem cert. 2. numero 1. & recitatum certamine 1. numero 3. Si enim Christus Deum videns, de quo gaudens naturalissimè vt diximus de aliorum peccatis tristatus ex Dei Charitate fuit, nulla fuit gaudij de diuinitate visa in illo sequestratio, vt contra Bernalem arguebamus. Respondetur tamen Ambrosium locutum de tristitia Christi, quæ nostræ infirmitatis est: nempe de malo phisico proprio, scilicet de sua passione, & morte: atque hanc miraculosa gaudij sequestratione Ambrosium, & Theologos factam conceptamque in Christo merito affirmare, immeritoque negare Bernalem: quem proinde eorum omnium autoritate confutauimus; non autem de tristitia ex Dei Charitate de aliorum peccatis à nobis asserta. Respondetur secundo etiam hanc sensu alio à nobis non negato miraculosa gaudij de Deo viso sequestratione effectam fuisse. visione quippè Dei gaudioque beatifico status perfectus consummata beatitudinis debebatur: cum quo tristitia adhuc de Dei offensis est impossibilis vt de Beatis dicebamus. Hic autem status gaudio beatifico de Deo viso deſit negatus Christo miraculose fuit, ac proinde sequestrato gaudio datus est tristitiæ Christi locus naturali quidem, vt diximus ea sequestratione, & denegatione status beatitudinis consummata: non secus, ac naturales ipsi corporeæ passionis, & dolores fuere.

5 Dico secundo de malo phisico proprio siue positio passionis, & tormentorum, siue negatio mortis lux tristatus Christus fuit. Primo quia ex Dei charitate inclinata Christi voluntas fuit, non prædeterminata ad prosequenda obiecta quæuis honesta, etiam, quæ Deus nec præcipiebat, nec consulebat ipsi, sed quæ ipse nouerat post factum Deo grata fore, quia honesta erant, atque moraliter bona: sed tristitia à Christo concipienda de suis doloribus, tormentis, ac morte grata Deo; & honesta erat futura: ergo ad illam ex Dei Charitate voluntas Christi inclinabat. Secundo de eisdem è sui complacentia Christus tristari poterat tristatusque de de facto fuit: nam viso beata, gaudiumque beatificum nullius virtutis operis, honesti exercitium impedit: atqui tristitia illa adhuc ex concupiscentia honesta, virtutisque exercitium in Christo erat: ergo visione gaudio-

que beato non impediatur non secus atque quærens Deo grata concipienda ex Charitate non impediatur. Erat autem huius tristitiæ exercitium miraculosa quatenus viso Dei gaudiumque beatum exigebant à Deo ostium omne tristitiæ occluderet. Atque pacto Alberti ac Bonau. sententiam explicandâ, ac sine illo in cõmuni defendendâ reor. Nam iudiciu illud de non curando alio præter quam Deum obiecta solum excludit, quæ honesta Deoque grata non sint, quare non honestam tristitiam, neque summum bonum visum, & possessum de quo Christus gaudebat vilum honestum mortium deſoluit, vt mouere Christi voluntatem valeret, cum consummata beatitudinis aberat status.

DISPUTATIO III.

De Gratia habituali humanitatis Christi.

QUATVOR circa gratiam habitualement humanitatis Christi inquiri possunt. Primum an fuerit? Secundum, an fuerit infinita? Tertium, an saltem quam maxima absolute esse potuit? Quartum de tempore, & causa, quibus hæc effecta.

QUESTIO I.

Fueritnè in Christi humanitate habitualis Gratia.

HABITVALIS gratia qualitas est, quæ Sancti formaliter, ac permanenter, æque amicitia Dei obiecta constituitur. Plus autem nobis de aliquorum centuris reſectendis, quam de re ipsa in questione præſenti agendum est.

CERTAMEN I.

Nihil pro gratia habituali humanitatis ex Scriptura, Patribus, aut fide est firmum.

1 **P**aludan. in 3. d. 13. q. 2. opin. 4. concl. 1. Richard. art. 8. §. Occurrit hic. Durand. d. 12. quæst. 3. mem. 5. Capreol. q. vnic. art. 3. init. & Recentiores nonnulli asserunt humanitatem hypostaticè vnitam à Deo operis sumptam potuisse in puris naturalibus permanere: quod vt sonat defendi iam minimè potest, cum certum ex Patribus sit vnione hypostatica humanitatem substantialiter sanctificari. Si autem benignius ea propositio accipiatur, vt solum significet sine gratia habituali, æque alis donis creatis humanitatem vnitam posse consistere: certa omnino propositio est, & quæ à sano Theologo negari nequeat. In quæst. autem præſenti de facto ex veterioribus Theologi nonnulli apud Palud. citantur, nec minus ab eis dissentientem, asserunt verè in humanitate Christi gratiam habitualement non fuisse; reliqui vero Theologi fuisse asserunt; ita DD. proximè citati, & Durand. etiam 13. q. 1. num. 8. S. Bonau. a. 1. q. 1. atque omnes in eadem distinctione veriores, Alarez, & Thom. alij 3. p. q. 7. artic. 1. cum S. Thom. Nazar. controuers. Val.

Vasq. disputatione 41. Soar. disput. 18. uterque Hurtado Vvadingo disp. 5. dub. 1. Lugo disp. 16. sect. 5. Bernal. disp. 30. sect. 1. qui omnes esse omnium Theologorum sententiam affirmant; & quidem verè si in nominatis vetustiores illos apud Paludanum excipias, & nos sanè, ut decet omnibus assentimur: quia neque ab authoritate Patrum, neque à ratione quidquam videmus, quod tot, tantorumque virorum iudicio eximat probabilitatem, & fidem; sed quia nonnulli Theologi gravibus censuris oppositam sententiam fugilant, ita nos affirmantem sequemur, ut negantem aduersam à censuris liberam cum honore deferamus.

2 Soarez citatus sect. 2. §. Dico secundo. Affirmatiuam fidei dogma esse asseruit: quare, & negantem, & hæresis, & erroris insinuat. De cuius censuræ rigore malè reliquos coartantes, & posteros Theologos merito audit. Primo enim, etsi sanctitate alia, quam Deitatis humanitatem Christi sanctam formaliter doceret fides in ipsius, atque aliorum Theologorum principis non statim talem per habitum gratiæ fore certa consequentia inferretur, ut inde affirmatiua nostra conclusio ad fidem, & eius dogma vtcumque pertinere monstraretur. Etenim in Soarij principis sola Dei acceptatione extrinseca sine gratia habituali aliavè forma intrinsecè inhærente potest quis absoluta saltem potentia, sanctus, iustus, Deoque gratus constitui: ergo licet alio modo, quam substantialiter per vnionem sanctam Deoque gratiam humanitatem fides doceret in Soarij principis non inferretur id per gratiam habitualem: cum in eius doctrina aliter, quam per illam, aut formam intrinsecè inhærentem sancta aliter, quam per vnionem, Deoque grata humanitas esse posset. Secundo licet in Vasq. & aliorum principis aduersis, ut quis sanctificetur, gratisque reddatur forma intrinsecè inhærente sit opus in eorumdem tamen imo communibus iam principis per actum Charitatis, qui forma sanctificans est, potuit humanitas Christi sine habitu gratiæ (qui in Suarificia Vasquiana Schola diuersus ab habitu Charitatis physicè est) formaliter sanctificari: neque in illa habitu gratiæ opus erat, ut physicè permanenter sancta foret, cum à Charitatis actu à conceptionis initio necdum cessaret Christi humanitas, nec sit per æternitatem cessatura.

3 Sed enim nulla alia, quam gratia vnionis humanitatem Christi sanctam ex Scriptura, & Patribus poterit aliquis ostendere: ut ex locis, quæ sono tenus videntur Soarij intento fauere singularim ostendam, Ioann. 1. de verbo incarnato, siue de humanitate vnita dicitur: Plenum gratiæ, & veritatis. Id autem nemo Patrum de gratia habituali interpretatur, sed de gratia vnionis Beda ibi Fulgen. capite 2. de fide ad Petr. August. 13. de Trinitate capite 19. Cyrillus, & alij infra recitandi. ut taceam Chrysof. hom. 11. in Ioann. & Euthymium de gratia miraculorum eum locum intellexisse. Sicut, & id Luc. 2. & gratia Dei erat in illo: Intellexit Euthymius, & Beda, quem tamen de gratia vnionis solum interpretantur, & hi, & reliqui. August. autem tract. 3. in Ioan. plenitudinem illam gratiæ ad impertienda gratiæ auxilia quibus lex per Moysen data seruaretur intelligit iuxta id Ioann. 3. Lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum. Illud item Luc. 1. Quod enim ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei. De sanctitate vnionis, & substantiali propria Filij Dei intelligitur. Nec aliud ex eo loco sanctitatis genus intelligit Bernard. hom. 4. super Missus est. illis verbis: Singulariter sanctum fuit quidquid Virgo concepit, & per Spiritum sanctificationem, & per verbi assumptionem. Solum enim eandem sanctitatem vnionis à causa formali assumptionis, & ab efficiente per appropriationem commendat, sicut, & Evangelista commendauerat illis verbis Spiritus sanctus superueniet in te, &c. ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, &c. illud psalm. 44. Vniuit te Deus. Omnes de vnctione sanctitatis, per Deitatem interpretatur Ilai. 11. Requiescat super eum Spiritus Domini. Satis per circuminfectionem, & immanentiam Spiritus Sancti. Tertio per potentiam miraculorum, quæ Spiritus sancti appropriatiue sunt: sicut Luc. 11. se eicere demonia Christus aiebat, in digito Dei. id est in

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

Spiritu sancto iuxta Athanas. sermone 2. contra Arrian. & 1. de incarnatione Christi Cyrill. & Ambros. vbiq. Denique Ioann. 10. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum. De Verbi missi sanctificatione per communicationem Deitatis à Patre æterna generatione intelligunt Beda, & August. tractatu 48. in Ioann. Euthym. qui de humanitate dictum putat tantumdem valere, atque elegit, ait. Addit Theophilactus, ut pro nobis sacrificaretur: quæ autem de eo destinabantur, & sacrificabantur sanctificari in Scriptura dicuntur iuxta id Ioann. 27. Ego pro eis sanctifico me ipsum. Hilari. 7. de Trinitate, post med. vnionis sanctificationem intelligit. Porro eos omnes sensus approbat Pseudo. Cyrill. 7. super Ioann. capite 12.

4 Nihil item pro affirmatiua in Patribus est. Illa enim verba August. 15. de Trinit. cap. 26. Iesum non solum dedisse Spiritum, ut Deum, sed accepisse ut hominem: & propterea plenum fuisse gratiæ, quia vnxit eum Deus dono gratiæ. De dono gratiæ, siue sanctitatis incretæ aptius intelligitur, ut ipse de vnctione humanitatis sæpè cum Patribus pluribus datis controuersia antecedenti explicat. Quæ autem annectit: Quod visibili significatur vnigento, quo baptizatos vngit Ecclesia. Nihil magis euincunt. Significatur enim donum gratiæ habitualis nostræ, & sanctitatis in nobis vnctione visibili, non autem donum sanctitatis humanitatis Christi; licet, quia genericè, vel quasi cum hoc donum gratiæ nostræ conuenit relatiuo Quod potuit secundum genus referri donum sanctitatis substantialis Christi, cum de dono sanctitatis nostræ agebatur. Eundem explicatum & sensum habet Athanasius sermone 2. contra Arrian. post med. ad verba data psalm. 44. dicens mirum non esse Christum qua hominem accepisse Spiritum, eoque inunctum esse, quem dat: atque Spiritus gratiam suscepisse, ut nos illam ex eius plenitudine reciperemus. Nomina enim illa relatiua quem, & illam, referunt genus vtriusque, non autem gratiam, siue sanctitatem humanitatis Christi, quæ vnionis, & substantialis fuit, solique esse potuit principium meriti gratiæ omnium nostri: ut asseruit hic Athanasius, cum in nostra, & communi Vasquez, & plurimum sententia è gratiæ habitualis augmento dignitas meriti non augetur, imo in eiusdem, atque aliorum doctrina gratia habitualis non sit principium merendi aliis quomodo intelligendus est Theodorctus similem sententiam scribens ad ea canticor. verba psalmo quadragesimo-quarto, ait: Meminerit secundum formam serui, qua minor est Patre, & ab Spiritu sancto, & à se ipso sanctificatum esse. & Dionysius de cælesti Hierarchia capite sexto, in interpret. Seraphin. iuxta versionem Perionij, ait eorum ordo. Iesum pro diuina, & quæ exprimi non potest benignitate, & à Patre, & à se ipso, & à Spiritu sancto sanctificatum cum cerneret. Sed hæc actiuam sanctificationem per vnionis productionem à tota Trinitate significant. At dices omisum à Perionio humano more ante sanctificatum, quod Ambrosius legit. Sed vox à Perionio omissa erat ἀποθεωτησθεος ἀποθεωτων id est de-cens, ut legitime vertatur, ut hominem decebat. Nec si versio Ambrosij teneatur vrget locus. Est enim sensus hominum qui non à se, sed à trinitate sanctificantur in morem: non autem gratia hominibus consuetata. Denique Ambrosius idem lib. de Spiritu sancto, capite vndecimo, sic recitatus à Lugo: Quem natum de Spiritu sancto constitui, quia negare non potestis, renosci negatis? Per eius sanctificationem, Magna insipientia est ut quod singulare est hominum constitui, quod commune est hominum denegatis. Sed regeneratio per sanctitatem vnionis commune quid cum hominum regeneratione per sanctitatem gratiæ habituali procul dubio habet.

CERTAMEN II.

*Negativa sententia non temeraria, sed Patri-
bus conformior.*

1 **E**X his porro satis claret nihil pro affirmatiua in Scri-
ptura, & Patribus esse, vt fidei dogma, neque per
somnia possit concernere, sed vt hoc clarius constet
ostendat. breui Patres pro negativa gratia habitualis, san-
ctitatisque creatæ in Christo potius stare sententia. Cy-
rillus epist. ad solitar. vitam exercentes relata t. i. Concil.
Ephes. cap. i. mala fide ab affirmantibus recitatus iuxta
accuratam eius Concilij versionem nostri Peltani suppo-
sitis verbis relectis sic habet: *Quod si quisquis eum quem
sacra Virgo peperit solum, id est in propria subsistentem hypostasi
vinctum, & sanctificatum arbitretur: atque ob id Christum appella-
tum contendat, eiusmodi in medium prodeat, nobisque exponat
solanè illa vnctio sat sit, vt vnctus cum Deo qui est super omnia,
æquatis gloria, parisque potentia esse censeatur? quod si id satis
esse concedat, & nos quoque illam sacram vnctionem affectuos non
neget (quemadmodum id negare non valet) Deo quadam tenus
esse pares. Vbi vnctionem affectiuam, ac non substantialem
per vnionem Nestorianam censet, atque ex illa Christum
non posse dici vinctum imò neque in naturam mutatio-
nis, & peccati incapacem cadere posse contendit in eo-
dem contextu contra Nestorianos; indeque concludit
non fuisse vinctum, siue Christum nisi vnio hypostatica
vinctum Deitatis humanitati contulerit, in eandem sen-
tentiam t. in Ioann. c. 17. ad id Plenum gratie inter plura
alia hæc habet: *Non mensura datur ei, vt cæteris, nec de foris
accedit: sed in perfecto perfecta substantialiter inest in Patre natu-
raliter habita. Id est per naturæ verbo ipsi humanitati vnio
à Patre communicatæ sanctitatem. Clarius Origen. 2. Pe-
riarch. c. 6. ait: Vni animam Christi oleo lactis, & spiritu s.
repleri, non quod gratia Spiritus s. sicut Prophetis, ei data est:
sed quod ipsius verbi substantialis ei inerat plenitudo. Dyonis.
Alex epist. contra Paul. Samosat. latina per nostrum Fran-
cisco Turrian. ait, Christi sanctitatem reliquorum homi-
num sanctitatis, etiam Baptiste longè antecellere, quia in
Ioanne erat opus, in Iesu vero natura ac infra. Non enim sortitus
est vnctionem externam, Iesus, sicut nos sortiti sumus. Naz. orat.
36. 4. de Theol. num. 93. Christus vero propter diuinitatem,
(ea enim humanitas vnctio est) non propter operationem, vt in
aliis Christus, sanctificatus, sed totius vnguentis presentia. Conso-
nat Basil. in data verba Psalm. 4. Damasc. 3. de fide c. 22.
non ipsa Christi anima, gratiam more nostra percipiens: quia
potius ob personalem vnionem, tum humanarum, tum diuinarum
verum, que vnus Christi facta erant, gratiam, & sapientiam, ac
denique omnium bonorum cumulum mundo sortis instar effan-
dens.**

2 Abundè hæc ad sensum etiam, ostendunt senten-
tiam negantem Christo gratiam habitualem, similemque
nostræ sanctitatem, non contra, sed potius à Patrum sen-
tentia esse, vt expressè docuit Vvadingo d. 5. dub. 1. §. Dico
secundo. Ex quo facile suadet, neque illam à Theologis
pluribus temerariam iure censeri. Id autem vt apertius
constet sciendum est ad opinionis temeritatem requiri,
vt ferè omnium Authorum in aliqua facultate doctiorum
iudicio firmo repugnet. Dixi Doctiorum Authorum. Neque
enim Sapientes, & Authores ceteri in facultatibus
sunt, quicunque, & cederunt, & citantur: cum ij magnam,
proh dolor, partem Amanuenses, & Transcriptores po-
tius quam Sapientes Scriptorum, Authoresque sint. Dixi
item iudicio firmo: Ad quod requiritur, vt illud non vt
probabile solum ab eis tradatur. Etenim si probabiliter
solum ab eis ab eis asseratur, iam oppositum probabile
reputant. Quando vero ab eis probabiliter tradatur, est
ipsi probabiliter solum se docere non exprimant ex eo-
rum rationibus, & fundamentis, quibus in sententiam
suam aguntur, pensandum, iudicandumque erit. Etenim
si ratio, ac fundamentum solum probabile sit, qui poterit
certa conclusio reputari cum de principiis, & conclusio-
nibus inde deductis Aristoteles dixerit: *Propter quod vnus*

quodque tale, & illud magis. Ex quibus duplici ex capiti
probo opinionem negantem humanitati Christi gratiam
habitualem temerariam non esse. Etenim sapientiam
hac materia Doctores non Scholastici, quantum in docti-
ted Patres Ecclesiæ habendi sunt, quorum scientias do-
& i quique Scholastici debent adherere, atque & superio-
ri illorum sapientia sapere: atque sententia negans nulli
Patrum aduersa est, vt vidimus cert. 1. num. 4. quin potius
eorum Sententia longè est, quam affirmatiua conformior
vt vidimus proximè num. 1. ergo nequit esse temeraria
Etenim paucorum Patrum autoritas, quibus plures
vnus ex Patribus, aut Scriptura non aduersatur Schol-
asticorum Autoritati præponderat: pro negante vero
adest autoritas Patrum plurium.

3 Alterum caput est: quia nemo Scholasticorum
quam certam affirmatiuam sententiam docuit, sed solus
vt probabilem. Etenim illam docuerunt è sola temerari-
um apprehensione, sed fundamentis adhibitis ab auctori-
tate quidem Scripturæ, & Patrum satis leuibus, vt vidi-
mus: à ratione vero non satis, imò nec æquè firmis, vt
que opinionis negantis fundamenta sint. id quod sic
stendo. Etenim gratia habitualis nulli rei in Christi hu-
manitate inseruit: ergo non est admittenda. Antecedens
probo: Etenim, vt constituitur humanitas iusta, ac ho-
stia, atque amicitia Dei obiectum permanentem, sic
bis inseruit, esset omnino otiosa, ne dicam indecens. Cum
infinite perfectius sancta, iusta, atque obiectum amicitie
nobilitatis Dei per vnionem, & sanctitatem Deitatis
permanentem humanitas Christi constituitur, nulli auctori-
tati effectui inseruire posse videtur, vt ex aduersariis
ab aduersariis impugnatione patebit. S. Bonau. Dur. Al.
Nazar, & alij Thomistæ citati, & Vvad. d. 5. dub. 3. m. 1.
ad meritum præmij supernaturalis in operibus Christi,
aiunt gratiam habitualement inseruire. Contra: quia si ho-
stus hic fit, vt opera dignificentur, atque eorum vale-
eleuetur ad præmium supernaturale: cum hæc digni-
ficatio, & eleuatio eo præcisè fiat, quod operans iustus,
Deique amicus sit, si gratia habitualis ad constituedam
sanctam humanitatem operantem non inseruit, vt vidi-
mus, neque ad meritum præmij supernaturalis eo senten-
seruit. Secundo, nemo iam Scholasticorum opera hu-
manitatis ab alio, quam sanctitate vnionis dignificari
Christo admittit. Idcirco Vvad. ait inseruire ad meritum
præmij supernaturalis, quatenus ad elicienda conueni-
raliter, nec solo auxilio infrinfecto opera supernaturalia
quæ sola præmium supernaturale merentur, inseruit.
Contra: quia opera honesta naturalia secundum substantiam
ex dignitate operantis præmium supernaturale merentur,
vt hic sæpè monui, & controu. de merito factum
ostendi. Contra secundo: quia si demus habitum gratia
cum habitu Charitatis identificari: non erit principium
connaturaliter, iam nec absolute actus supernaturalis ipse
gaudij de Deo viso, neque fidei: ergo sine eo effectus
Christo actus, & meritum præmij supernaturalis, in
neque in Christo habitus gratia cum habitu Charitatis
identificatus admitti debet, vt ostendam iuxta controu.
Vvadingo.

4 Valquez disp. 41. cap. 1. Soares dissertatione ad
secciónem 2. §. Vltimo tandem. Eandem videntur solutionem
Vvadingo voce tenus dedisse: cum tamen ipsi habitum
gratiæ, & charitatis diuinos esse absolute faciantur
habitus operationis supernaturalis connaturaliter principium
proximum esse in Christo habitum gratia voluerit, sed
solum radicale: quia habitualis gratia hominem Deo per
participationem constituit, atque essentialiter in ordine
supernaturali cum iure operationum supernaturalium,
ac proinde habitus supernaturales ad illas necessarios
exigit, quasi essentia passionum, quare, vt habitus su-
pernaturales, quasi connaturaliter essent, et epe-
rationes supernaturales connaturaliter efficiendas ne-
cessarium habitum gratia arbitrantur in Christo
quam rationem vulgarem latè apud Theologos
de. Sed contra: quia habitum gratia esse essentialiter
& habitus reliquos supernaturales passiones incommen-
imò difficile est, vt bene Lorca Primo: quia Catholice
num per annum, imò, vt pluribus antiquis Ecclesiæ

tribus contingit, per multos annos credentem ante bap-
tismum, & gratiæ infusionem per auxilium extrinsecum
credidisse fatendum erit: cum passiones, siue habitus su-
pernaturales ante essentiam infundendi non sint. Se-
cundo: infertur per quodvis lethale, habitus omnes su-
pernaturales fidei etiam, & spei connaturaliter perire:
cum essentia, cuius passiones sunt, nempe habitus gratiæ
proculdubio pereat. Tertio cum perfectius sanctificetur,
constituaturque in ordine supernaturali, & diuino hu-
manitas Christi per sanctitatem substantialem vnionis,
ac Deitatis perfectius principium, & radix erit superna-
turalium habituum, inique strictius ad illos humanitati
Christi conferretur: ergo ad id gratiæ habitualis humanitati
Christi non inferuet. Dices posse esse radicem, & prin-
cipium remorum, non proximum habituum supernaturalium:
passiones quippe nequeunt habere duplex
principium proximum: alioqui accidentia communia,
non passiones essent, ut lux, quæ solis, atque ignis acci-
dens est. Contra quia habitus supernaturales passiones
gratiæ strictè non sunt, sed quatenus solum ab ea exi-
guntur, quod non tollit, ut ab alio exigantur: passiones
quippe in gradu determinato exiguntur; habitus autem
supernaturales non exiguntur à gratia in gradu determi-
nato. Secundo sunt passiones, & in gradu determinato
gratiæ, poterunt esse passiones vnionis hypotheticæ in
gradu valde inferiori, & simul cum aliis omnibus
donis supernaturalibus, quæ etiam exigunt vnio, quin
idemmet adequatè sumptum sit passio vtriusque: in
quo solum esset implicatio. Inadequatè enim tempera-
mentum primarum qualitarum idem est in omnibus
mixtis, & tamen vnuius cuiusque temperamentum passio
ipsius vulgò censetur à Philosophis.

5 Lugo d. 16. lect. 5. num. 96. ait inferuire gratiam
habitualem humanitati, ut sit prima mensura gradus, in
quo supernaturales habitus (ut potè passiones, quæ non
nisi in gradu determinato esse debent) ipsi donentur,
quin Dei arbitrio remittatur determinatio, quæ à crea-
turæ exigentia potest provenire, iuxta philosophiam bon-
nam: quod si infles determinationem graduum gratiæ,
quæ mensura intensiōnis habituum supernaturalium sit,
à solo Dei arbitrio pendere fatetur Lugo, sed disparita-
tem assignat: quia exigentia, vnionis quæ sola gratiam
antececidit infinita est; quare esse determinatè men-
suratæ ac proinde gratiæ determinatio à solo Deo esse de-
bet, aliter aliorum habituum determinatio, qui natura
sua gratia posteriores sunt, minus philosophicè in Deum
refundatur, ponendam gratiam determinatam esse: in
primis solum supponit habitus supernaturales passiones
esse gratiæ habitualis, quod iam impugnauius. Secundo
exigentia vnionis est habituum supernaturalium in sum-
mo, quod potest humanitas recipere, vel ergo gratia ha-
bitualis data est in summo, quod potest humanitas ha-
bere, vel infra summum. si infra: parè Deo, atque
auarè cum humanitate sibi vnica se gessit; si in summo.
Ergo non suo arbitrio puro, sed ad mensuram exigentiæ
vnionis: ergo, cum in summo etiam exigat vnio reliquos
supernaturales habitus, si eos daret Deus ob eiusmodi
exigentiam solum, in summo, ut dedit, non puro Dei ar-
bitrio dati dicerentur, neque exigentia gratiæ in summo
alia esset, aliter iusvè mensuræ, cum ad esset. Demum. Vv-
dingo. §. Dico tertio. Bernal. lect. 1. n. 8. aiunt habitum gra-
tiæ, & charitatis identificari: ac proinde humanitatem
Christi habitu gratiæ constitui principium connaturale
charitatis, & dilectionis Dei: atque ex eo principio de
vtriusque habitus ideitate rationem solidam conclu-
sionis affirmatiuæ fatetur Vvdingo. Sed quid habeat soli-
ditudinis ratio, & conclusio, quæ ex identitate vtriusque
habitus negata à Primoribus Theologis. S. Th. Vasquio,
Soario, & affectis vnice pendet: secundo: identificetur
habitus gratiæ cum habitu Charitatis in nobis: est præ-
dicatum constituendi in summo, & sanctum, neque est for-
malitas constituendi principium connaturale dilectio-
nis, quæ est formalitas habitus Charitatis, neque est ef-
fentia sua exactiūm identificatis cum ea formalitate:
quare omnium sententia possibilis est habitus gratiæ
realiter diuersus ab habitu Charitatis: ergo habitus Cha-

ritatis Christo datus fuit ex diuersis ab habitu gratiæ,
non ex identificatis cum illo. Patet: quia si ea formalitas
iustificandi, & constituendi sanctum, quæ est propria, &
formalis habitus gratiæ, ut inutilis, & otiosa in Christi
humanitate locum non habet iuxta dicta n. 3. sub initium,
non minus otiosa erit, si detur illi identificata cum alio,
quam seorsim ab illo.

6 Porro si hæc omnia attentè legantur nullum reor
remeritari in negante opinione scrupulum remanere
alioqui posse, pluribusque suspicor magis negantem ab
Scholasticis non admodum recentibus censuratum, quam
affirmantem arrisuram ob firmiora Patrum, & rationis
fundamenta. Sed tamen, quia neque hæc ita negantem
enuncunt, ut probabilitatem excedant, licet videantur in-
ducere maiorem, à communi ferè omnium Scholastico-
rum sententia affirmatiua non recedimus, à quibus, ut re-
cedamus aliquando vrgentioribus argumentis opus est.
Ratio autem qua, & in eam inducimur, & aduersariorum
rationi satisfacimus est, quam, non contemendam solum,
iudicat citatus Lugo num. 58. nempe gratiam habi-
tualem, licet necessaria non sit, ut humanitatem, quæ al-
tiori longè ordine sancta infinita est sanctam absolute
constituat, neque, ut magis sanctam reddat: est non ferè
otiosam, quia sanctam in alio genere constituit, inferiori
quidem, sed, qui ab altioris generis sanctitate non impe-
diatur: quemadmodum, nec scientia clara per accidens
infusa naturalium obiectorum perfectior experimen-
talem aliorum ex illis acquisitam scientiam impedit no-
stræ similem, & obscuram. Ad Patrum testimonia regi-
tata num. 1. dico eos agere contra Nestorianos: solum-
que velle expectatam non fuisse virtutis exercitationem,
& habitualement gratiam, ut Christus absolute vnctus
esset, ac diceretur, siue magis sanctus de alia vero san-
ctitate gratiæ habitualis non curasse, quia nec sua
tunc, nec Ecclesiæ de ea definire referebat. Idque solum
voluere verbis illis non de foris accedit, nec externe sanctifica-
tur, aut sortitus est vnctionem externam.



QVÆSTIO II.

Num gratia habitualis Christi fuerit in-
tensiuè infinita?

AM ad gratiam humanitatis Christi intensiōnem
examinandam facimus gradum.

CERTAMEN I.

Negatiua vera conclusio male à nonnul-
lis probatur.

1 INfinitam intensiōnem gratiæ habitualis Christi do-
cuit, tenuitque olim tota Parisiensium Schola Palu-
diani tempore, ut ipse testatur loco citando. Docuere
item Maior. in 3. d. 13. q. 3. (reputatque probabile Almain.
q. 3.) Maldonatus postea. c. 2. Lucæ versu. 40. Petrus Hur-
tado. d. 13. Physicor. lect. 3. d. 48. de Incarnat. lect. 2. Bernal.
d. 30. lect. 3. §. 2. init. Negatiuam autem sententiam no-
stram, & veram tradunt. S. Th. 3. p. q. 7. art. 11. q. 20. de ver-
rit. a. 3. & in 3. d. 13. vbi Scotus §. Ad primam quæstionem,
& §. Ad argumenta istarum quæstionum. Albert. q. 1. a. 7.
Almain. quæst. 1. Durand. ibi num. 10. Palud. a. 1. & 4.
concl. 2. S. Bonau. a. 1. q. 2. Ricard. ibidem, Capreol. q. 1. a.
1. reliquique, & Thomistæ, & Scottistæ. Vasq. d. 46. c. 2.
Soar. d. 22. lect. 1. §. Dico ergo primo. Lugo. d. 16. lect. 6. num.
104. §. Contraria sententia. Vvadingo. d. 5. dub. 6. §. Dico primo.
Probat hic: quia, etsi possibilis sit gratiæ intensio infinita,
omnia, quæ de factò creata sunt, determinato pondere
numero, & mensura creata creduntur, nisi oppositum ex

scriptura, & Patribus, qui hac de re tacent omnino, aut ex ratione confiterentur: atqui ratio vnica ad rem præsentem solum esse potest infinita dignitas humanitatis ab vnione proueniens, ob quam in summa perfectione possibili, quæ statim, & muneribus Christi non obesset. Dandæ perfectiones videbantur: quare in infinita intentione, si ea possibilis sit; atqui odoratus, & visus, reliquæque perfectiones corporeæ, licet in summo muneribus, & statim Christi non obessent, datæ in summo non sunt: cum vultures maiorem Christo odoratum, & aquilæ visum perspicacitorem habuerint: ergo ea ratio non probat gratiam Christo datam in intentione infinita possibili. Quare, licet animæ dotes, vt scientia virtutes: & dona, quæ muneribus iudicis Redemptoris, & Magistri inferuntur in gradu excellentiori, quam reliquis datæ Christo fuerint, non autem in summo possibili. Aliter vero si ea ratio non probat: quare ipse gratiam habitualem, quæ eis muneribus non inferuit, ac perfectissimum corporis temperamentum minus fortasse patiendi idoneum (plura enim, aggestiores pati possunt) pluraque alia Christo donata, ea solum ratione probat. Illud Deo odoratu, & viso nõ in summo nil valet. Etenim adeo sensus in summo, organorum dispositio formæ, & temperamenti requiritur perfectioni corporis humani disconueniens: quare, & Christi naturam perfectissimam humanam dedeceret.

Reliqui proinde ab impossibilitate intensiois infinitæ gratiæ conclusionem vnica pendere merito putant. Sed malè eam probant impossibilitatem. Soarius, quia gradus gratiæ sunt ætherogeni, & subordinati: ac proinde si possibiles infiniti forent causarum subordinatarum processus infinitus esset possibilis. Ostendi controu. 1. de generat. d. r. gradus gratiæ esse homogeneos. Nec refert gradus gratiæ subordinati gradibus luminis gloriæ, ac proinde infinitos gratiæ gradus inferre infinitos luminis, qui repugnant ob rationem datam, cum ætherogeni sint: siquidem gradus superior non solum intensus idem, sed aliud etiam videri facit, quod non videbatur remisso. Sed gradus luminis gloriæ homogeneos, non ætherogeneos esse ibidem monstrauit: ratio autem Soarij falsum proflus assumit; nam lumen gloriæ soli Deo videndo inferuit formaliter. Probat secundo Soarius impossibilitatem graduum infinitorum: quia essent etiam gradus luminis infiniti possibiles: ergo licet homogenei, infinitam Dei cogitationem, & visionem inferrent: ergo, & Dei comprehensionem à creatura. Negatur consequentia prima ob rationem dandam in simili cert. 2. item, ea permissa, negata est à nobis consequentia secunda contr. de attributis vbi præfixam, & inutilem questionem de comprehensione Dei per otium tamen profligauimus.

Probat Vsq. num. 7. impossibilitatem eiusmodi ex quo plures: quia posita ea infinita intensioe in homine posset hic bonis operibus moralibus, & supernaturalibus crescere in amicitia Dei, iustiorque, ac Deo gratior constitui: ergo, & plus gratiæ, siue maiorem gratiam habere: ergo posita illa, quam infinitam dicebas, infinita non est. Patet: quia infinito nil potest maius esse. Secundo quia vltimus gradus, cui vniretur adueniens in infinita intensiue gratia esse non posset. Sed tamen, si vim haberet consequentia, distingui posset antecedens: posset crescere in amicitia Dei, iustiorque, ac Deo gratior moraliter concedo antecedens, & habitualiter physice nego: obest enim per te augmento gratiæ habitualis præsupposita ipsius infinitudo. Sed non virget consequentia. Posset enim dari gradus gratiæ speciei perfectioris, qui, licet non vniretur intensiue gratiæ infinitæ præsuppositæ, vniretur tamen subiecto denuo merenti: vel potest dari infinita gratia speciei perfectioris loco imperfectioris præexistentis. Secundo negat illam eandem consequentiam penultimam Vvadingo à num. 60. a. 64. scilicet gradum nouo addito maiorem esse gratiam, quam erat infinita præsupposita: quia additione eius perfectionis, quæ in Deo formaliter, vel eminenter continetur, maius quid non resultat. Et enim de causa mundus totus, qui eminenter in Deo continetur simul cum

Deo: maius quid non efficit, quam Deus solus: nec gratia habitualis Christi sanctiorem illum, quam sanctior vnionis sola esset, constituit. Cum ergo in infinito gradu quæuis vnitas, quiniisque eorum numerus contineatur nullius additione maius quid gratiæ resultat. Sed licet in ratione numeri, & mensuræ formaliter intentionem probat, & quia in pluralitate infinita quiuus numerus continetur; materialiter tamen non probat non esse gratiam maiorem. Nam quatuor gradus additi non magis continentur formaliter, aut eminenter in infinito præsupposito, quam tertius in duobus.

Respondeo ergo secundo: adhuc ex gradibus speciei eiusdem posse dari infinito maius, non in ratione numeri, & mensuræ formaliter, quæ infinitati repugnant, sed materialiter, & entitatiue, si gradus qualitatis homogenei sint, vt in gratia contingit. Nam de ratione infiniti creati non est, quod nihil præterea illius generis produci, dativè possit, sed quod ad extremum nulla acceptioe, & assignatione, adhuc rationis, perueniri queat. Posset igitur Deus gradus novos gratiæ producere, & aliis intermediis infinitæ gratiæ intensiue vnitate, & in se qualitatis constituitur quibus satisfactum est rationi duplici, quo vltimam Vsq. consequentiam, probabimus. Denique in re præfenti negget totum Vsq. argumentum. Nam Christo, in Deo Beatis, ob virtutum exercitium plus gratiæ habitualis non dari faceret ipse cum Theologis reliquis, & reque dogmaticum est: quare, licet in puris viatoribus hominibus vim haberet argumentum, in Christo haberet nullam.

CERTAMEN II.

Neglecta hæctenus. S. Th. ratio, atque huius conclusionis vnica illustratur.

Vnica ergo impossibilitatis intentionis gratiæ infinitæ, ex qua conclusio illam in Christo negant vnice pendet, data a S. Th. fuit, licet non debito honore fuerit à plerisque Theologis accepta: nimirum ex incapacitate animæ Christi Domini, quæ relatè etiam ad absolutam Dei potentiam intelligi debet, cum gratiam animus non nisi potentia obedientiali à Deo patitur. Sic igitur eam rationem illustro ex his, quæ controu. de infinito pro impossibilitate infiniti intensioe docebam. Habitus gratiæ est qualitas natura sua educibilis ex animo rationali, vel Angelo (vt cum omnibus educebamur controu. de gratia contra Scotum, qui dicebat esse creabilem) ergo implicat gratia intensiue infinita. Probo consequentiam. Repugnante eductiuo passiuè repugnat educibile, quod dicit essentialiter physicam potentiam eductiuam in passio, ex quo est educibile: sicut repugnante actiuo repugnat: factibile: atqui repugnat anima (Etenim est de Angelo) eductiuo passiuè infinita intentionis gratiæ: ergo repugnat infinita intensiue gratiæ educibilis: ergo absolutè repugnat gratia intensiue infinita, siue infinitè intensa: esset enim educibilis, & quæ apertè contradictoriè repugnant. Minor est S. Th. proximè, nec probatu difficilis. Etenim potentia eductiuo passiuè non est ita intelligenda, vt nihil de suo educibile existentiam conferat, sed solum quasi aduentitium quid omnino à virtute actiuæ proueniens exceptiuum, quin potius concursum causæ eductiue passiuè materiam à solo Deo suppleri posse communiter docent Philosophi, atque inde inferunt nullum agens creatum posse adhuc diuinitus creare.

Hinc probatur minor potentia eductiuo passiuè virtus intrinseca concursiva in suo genere ad effectum educibilem: atqui nulla anima (nec Angelus) potest habere virtutem intrinsecam concursiuam ad infinitam intensiue gratiam: ergo repugnat anima (& Angelus) eductiuo passiuè infinitæ intentionis gratiæ. Minor syllogismi

Syllogismi proximi suadet: implicat potentiam, & virtutem finitam concursivam in quovis genere concurrere ad effectum infinitum; atqui potentia, & virtuseductiva passivæ animæ, (& Angeli) est virtus concursiva finita ergo implicat concurrere animam ad infinitam intentionem gratiæ. Respondet in simili Vvadingo potentiameductivam passivæ animæ respectu gratiæ esse non naturalem; sed obedientialem; ac proinde non è naturali, & intrinseca animæ virtute, sed è Dei illam elevantis voluntate mensurandam esse. Ne plura hic de obedientiali hac potentia intempestè evoluvamus. Id certum est: licet Dei voluntate, tamen intrinseca virtute, entitatis creaturæ ipsam ad effectus obedientiales sibi concurrere; nec à solo Deo, cuiusque voluntate illos provenire: atqui virtus intrinseca creaturæ cuiusvis finitæ, ac limitata est: ergo nequit vilo genere concursus, adhuc passivus, concurrere ad effectum infinitum: etenim infinitum nequit vilo causæ genere finito contineri: vt de se pater. Nec satis est Dei infinita virtute, & voluntate iuvari: nam quantumvis exiguum concursum conferat de suo ad gradus, vel partes effectus obedientiales edendos, si virtute sua concurrat, vt debet, quæ est ad centum suas omnino partes agendo, ac Deus fortius agendo loco illius nonagintaonem partibus concursus creaturam leveat concurrere ad miliaria aliquot partium effectus poterit, sed ad partes finitas: vltra illas vero vsque ad infinitam solus Deus agere poterit: quare partes illæ infinitæ, quæ excedunt, effectus, obedientialis, potentia non erunt, factibiles è à creatura adhuc obedientialiter: ergo nec in casu nostro gratiæ partes, quam essentia sua qualitatem educibilem supponimus contra Scotum ex controu. de gratia, vbi id fusè cum reliquis Scholasticis docuimus.

3 Dubitatur insuper an gratia hæc animæ Christi sit infinita secundum quid? Res quidem momenti exigui, in qua communiter affirmatur cum S. Th. hic, & q. 20. de verit. varieque nullo fructu hæc infinitas gratiæ explicatur. Sed præcipuè, quia vnionem, & dignitatem infinitam humanitatis supponit, è cuius consortio, vt infinitè gratiam Deo humanitatem constituat gratia habitualis habet, vt explicat Soar s. Sed in hoc considerandum, non secus atque opera ex simili consortio infinitatem meriti trahunt. Sed contra: quia meritum infinitas operibus Christi absoluta infinitas est, non secundum quid: quare ex ea paritate gratia infinita non secundum quid, sed simpliciter infinita conuenitur. Secundo dignitas, & sanctitas operantis est forma efficiens moraliter, & in æstimatione operis laudabilitatem, & meritum: quare nil mirum si in æstimatione morali tribuat infinitatem: at gratiæ neque est forma physica, nec moralis cum gratia habitualis morale quid non sit in se quare in nullo genere potest secundum se, & in se à dignitate humanitatis accipere infinitatem. Tertio licet eam acciperet non posset illam humanitati quasi retrogradè communicare, atque illam infinitè gratiam Deo constituere: cum potius ipsa infinitatem ab humanitate, cui vniuer ipsa, præhabitam trahat. Solum ergo infinita secundum quid dici potest, quatenus infinitam dignitatem humanitatis, cuius titulo datur supponit, non autem in se recipit, aut eidem humanitati impertitur.

Q V Æ S T I O III.

Habuerit ne Christus gratiam maximam
possibilem.

LIQVA hic supponenda, examinanda alia: quæ tamen satis clarè suis certaminibus singularim præstabitur.

CERTAMEN I.

Christus gratia habituali plenus ex suppositione solum fuit.

1 Prima conclusio fit: Christum gratia habituali plenum fuisse certum non est. Conclusio hæc in aperto est ex dictis q. 1. vbi ostendimus gratiam habitualem Christi solum probabiliter, non autem certo asseri posse: vnde fit non maiori certitudine gratiæ eius plenitudinem in Christo affirmari valere: quare reprehendendus hic etiam est Soar. quia d. 22. sect. 2. hæc gratiæ Christi plenitudinem fidei dogma esse asseruit testimoniis scripturæ, & Patrum, non solum, quæ asserit, sed quæ pro sua conclusione inducere etiam posset fecimus satis citata. q. 1. cert. 1. & illud solum memorabimus Ioan. 1. Plenum gratiæ, & veritatis, vt cum Valq. d. 41. c. 2. & Soario, §. Secundum ex ipso in hæretico huic seculi incubatorem Erasmo, ac nimis credulum Caietanum animaduertamus illud plenum, Vulgatæ nostræ retinendum esse, vt verbo, de quo ibi egerat Ioannes, concordet; non autem legi posse, plenus, vt hi voluerit: ita vt concordet cum Baptista, qui statim dicitur de Christo testimonium perhibuisse hæc textus constructione. *vidimus gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre Plenus gratiæ, & veritatis loquens testimonium perhibet de ipso.*

2 Ea vero lectio omnibus Patribus aduersa, temeraria, ac non nisi hæretici, aut multum candidi, ne dicam simplices, animi est, & aqua contextu ipso retrahi Caietanus potest, si attenderet, Erasmus, si veller. Subdit enim Euangelista Baptista testimonium de ea plenitudine gratiæ, & sanctitatis incarnati verbi, quam de illo nimirum asseruerat Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens. *Hic erat quem dixi: qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat, & de plenitudine eius nos omnes accepimus.* &c. Sed quam fucili malitia Erasmus Caietanum in eam temeritatem egit? Ait enim ille *quæ vox in Græco est, masculini generis esse, quare, & masculine plenus cum Ioanne concordans verti debet, non neutre.* An ignorabat satis in lingua Græca versatus Grammaticus, atque homo in omnibus versutus, Græcam vocem substantiuam, quæ latinæ nostræ Verbum respondet, in illa lingua masculini generis esse: nempe cui non nisi masculina terminatione concordare adiectiuum lingue eiusdem in bona grammatica posset: cum ergo Verbum in latina nostra substantiuum substantiuo masculino Græcæ lingue respondens neutrum sit, & adiectiuum latinum, vt ipsi bona grammatica concordet, in neutra terminatione poni debuit.

3 Secunda conclusio ex suppositione gratiæ habitualis Christi certo ex discursu colligitur; non autem ex fide (cum nullum extet scripturæ Patrum, vel Conciliorum ea de re testimonium) plenitudo ipsius in Christo. Sive enim plenitudo significet abundantiam, vt vulgo, imò in scriptura etiam (vt Luc. 1. *Et spiritu sancto replebitur quibus ex vtero matris sue, ac rursus. Repleti sunt in Synagoga ira hæc audientes, ac sæpius alibi) siue tantam habuisse gratiam, quantum ipsi dignitas, & officia exigebant, negari nequit, quin gratiæ plenitudo fuerit Christo concessa: cum de lege ordinaria aliis ad munera, in quibus à Deo constituuntur, & data sit, & data legatur. Vnde facile constat quo plenitudinis excessu præ aliis omnibus eximie etiam sanctis illam Christus habuerit, cum, & muneribus ipsi iniunctis, atque infinitæ humanitatis Deificatæ dignitati longè debeatur gratia maior.*

CERTAMEN II.

*Circa magnitudinem gratiae Christi opiniones,
& conclusio prima.*

1 **C**ristum Dominum habuisse maximam gratiam, non solum sibi, sed, & absolute possibilem docet Scotus 3. d. 13. q. 1. §. *Ad primam questionem dico.* quem sui omnes sectantur Marfil. q. 10. a. 1. p. 3. concl. i. Dur. q. 1. & in 1. d. 17. q. 9. Caiet. 4. p. q. 7. a. 9. 10. 11. & 12. & q. 10. a. 4. & 2. 2. q. 24. a. 7. Driedo de captiuit. & redempt. Gener. hum. c. 2. p. 3. a. 6. Maldonat. in 2. Lucae versu 40. Lorca. d. 43. Bernal. d. 30. lect. 4. §. 2. referens pro eadem sententia Carthusianum, & Aegydius apud Vasquez, & Soarium, & quibus, ne nominantur quidem in eam autem opinionem propendet Paludan. in 3. d. 13. q. 1. Contra vero Okam. in 1. d. 17. q. 8. concl. i. & in 3. d. 13. q. 7. Capr. q. vnic. a. 3. ad 3. Aureoli, & in 1. d. 17. q. 2. a. 2. ad 2. Scoti docent Christum non habuisse maximam gratiam sibi adhuc possibilem, ne dum maximam absolute possibilem. Eumque esse. S. Th. sensum locis citandis contendit, ut, dum ait, exhaustam esse, completamque capacitatem animae Christi gratia, quam habuit, loquitur de capacitatem animae non absolute, & obedienciali, sed naturali solum: ne sibi contradicat. q. 29. de verit. a. 3. ad 3. dicenti expleri non posse capacitatem animae Christi respectu gratiae, si obediencialem dixerit aliis locis, hanc interpretationem. S. Th. & sententiam sequuntur Thomistae reliqui praeter Caietanum, & Paludanum, & Vasquez, d. 47. cap. 3. & 4. Soar. d. 2. lect. 2. vers. fin. §. *Dicendum est igitur.* Lugo. d. 16. lect. 6. num. 111. ac ceteris fursus Vvadingo. d. 5. dub. 7.

2 **Prima conclusio secundae huic sententiae aduersa:** Christus habuit maximam gratiam sibi possibilem. Est expressa S. Th. 3. p. q. 7. a. 11. & a. 12. ad 2. ubi ait gratiam Christi pertigisse summam sui mensuram: non pertigisset autem, si in Christo posset esse maior, adhuc absoluta Dei potentia, & secundum potentiam obediencialem, loco autem opposito à Capreolo non loquitur de capacitatem physica animae, sed morali dignitatis, quae infinita ex Deitate vnita est, & quae finita gratia nequeat expleri. Idem docent Gabriel. in 3. d. 13. q. vna. t. notat. 3. & a. 2. in 1. d. 17. q. 8. a. 2. conclus. 3. & 4. Gregor. q. 6. concl. 3. & si minus attendentes naturae gratiae essentia sua educibili, extra subiectum augeri infinite posse illam arbitrentur. S. Bonau. p. 2. a. 1. q. 4. Ricard. a. 2. q. 4. & rursus Bonau. in 3. d. 13. p. 2. a. 1. q. 2. ubi & Ricard. q. 2. ad 1. licet hi animam Christi ratione vnionis hyposthatice capaciorem gratiae omni creatura possibili esse admittant: id quod, si de physica passiva capacitatem intelligatur, nec solum de morali dignitatis, erit in primam sententiam abire, quam loco primo reiciunt. Conclusioni eidem consentiunt ex parte Almain. in 3. d. 13. q. 1. atque apud ipsum Petrus Alliicens, dum aiunt gratiam Christi in ratione gratiae fuisse maximam sibi possibilem: quia, quae talis est principium actuum dilectionis Dei, in quo genere finitum esse nequit principium infinitum; aut in ratione qualitatis potuisse esse infinite maiorem: quia, ut sic respicit subiectum, siue animam Christi solum, ut passibilem: passibilitatem autem infinite qualitatis in creatura esse posse. Sed peccant in distinctione. Primo: quia eadem est ratio principij concursiui passiuè, atque actiui quominus principium, & ens finitum nequeat ad infinitum concurrere, ut q. 2. cert. 2. monstrabam. Secundo: quia gratia re ipsa secundum totam suam entitatem educibilis est. Tertio: quia sunt educibilitas, & educitio, potentia, & concursus realis, qui nequeunt esse ad vnum praedicatum, ac non ad aliud entitatis eiusdem, adhuc praecisive. Quarto: ex hac ratione constat praedicatum qualitatis non posse intendi, quin intendatur praedicatum gratiae ipsi identificatum: quare vtrumque, vel neutrum fore infinite intensibile.

3 **Probatum conclusio ex probato principio, q. 2. de termino intensiois gratiae Christi necessario commenturato capacitati subiecti.** Ex quo sic arguo. Animae Christi debetur ratione vnionis hyposthatice gratiae secundum totam intensioem illam, quae ipsi possibilis est. At qui posito termino intensiois possibilis à nobis probatum est summum, & maximum intensiois gratiae possibilis animae Christi: ergo hoc debetur animae Christi: ergo & datum de facto illi fuit. Probatum haec consequentia ex repetito saepe principio: nempe summum perfectionis possibilis ipsi in quouis genere datum de facto humanitati Christi fuisse, ubi nulla eius perfectionis cum Christi muneribus Redemptoris &c. pugna additur: quae in casu nostro adest nulla qui sanè discursus aequè probat de potentia ordinaria, atque de potentia absolute, vel respectu potentiae obediencialis, ac naturalis: imo in gratiae productione, si respectu animae secundum se sumptae, ac nuda loquamur, potentia naturalis adhuc passiva non est, sed solum obediencialis: cum potentia naturalis adhuc passiva respectu effectus supernaturalis, (cuiusmodi gratia est) esse non possit, neque item potentia ordinaria Dei habet locum: cum potentia ordinaria Dei in iis solum, in quibus exigentiae aliarum causarum, & rerum se se Deus accommodat, inueniatur: non autem in iis, in quibus sine vlla exigentia aliarum rerum pro suo arbitrio ab eiusmodi exigentia soluto operatur: ac vero, cum in anima nuda sola sit capacitatem passiva, non autem exigentia gratiae respectu ipsius secundum se sumptae, nequit non Deus potentia soluta, siue absolute operari: quare potentia ordinaria, siue ordinata operari non potest, si autem adiuncta alia ex parte animae considerentur, attendantur à Deo ad operandum poterit esse potentia ordinaria Dei in operanda gratia. Sed ut appareat quam falsò à Capreolo, Thomistisque eius affectis, & à nostris Vasq. Soar. Lugo, & Vvadingo asseratur, gratiam maximam animae Christo datam potentia absolute, non ordinaria.

4 **Addendum est maximam gratiam animae Christi possibilem potentia ordinaria, siue ordinata Dei datam illi fuisse, nec nisi potentia absolute dari illi maiorem maxima potuisse.** Probatum facile ex dictis de potentia ordinaria, siue ordinata Dei, atque absolute. Etenim, si Deus potentia ordinaria, & ordinata producit rerum exigentiae praesuppositae ad decretum producendi attendendo, ac se se accommodando: cum ad gratiam, quam maximè productionem in anima Christi exigentiae vnionis hyposthatice, quae de tota illa gratia est, praesuppositae attendat, se se accommodat potentia ordinaria, & ordinata, quam maximam gratiam in anima Christi produxisse dicendus Deus erit: cum autem ea potentia absolute, siue soluta agere, seu non agere dicatur, quae meo suo arbitratu de rerum exigentia soluto agit, vel non agit, quidquid gratiae summae, & quam maximae animae Christi possibili denegaret, potentia absolute, seu soluta ab exigentia animae iure, & titulo vnionis, quae ad maximam sibi possibilem est, denegaret. Dices potentiam ordinariam Dei esse, quae regulariter, & frequenter operatur; non operatur autem frequenter gratiam quam maximam. Sed malè potentiam ordinariam, & regularem Dei cum frequenti confundis, nam regularis, & ordinariae potentiae definitio non est, quae non excedit in effectu mensuram frequentem aliorum, sed exigentiam, quae ad effectus in illis est: licet mensura effectuum frequentium gratiae summam gratiae non pertingat à potentia ordinaria sit, quia frequenter, & in reliquis non est summae gratiae exigentia, sicut est in Christi anima: quare, sicut in illis gratia minor summa à potentia ordinaria Dei prouenit, quia eorum exigentia in eius collatione Deus attendit, se se accommodat, ita in summae Christi dato potentia ordinaria operatur Deus, quia exigentiae ipsius attendit, atque gratiae collationem commenturatur. Instat Vvadingo ad dignitatem capitis, & finem gratiae, satis esse si maiorem gratiam, quam membra, in quae illam insluit, habeat, quin ad summam pertingat: quare minor summa potentia ordinaria Christum habiturum. Sed tamen, si hoc solum attendendum esse

coſa habitualis gratia ſuperflueret: cum ex gratia vnionis ſatis, ſuperque caput, & fons gratiæ aliorum conſtitueretur. Attendenda igitur eſt dignitas vnionis, ac non repugnantia gratiæ in eo gradu ſummo cum Chriſti muneribus, vt dicebamus.

CERTAMEN III.

Summam gratiam abſolutè poſſibilem Chriſtus non habuit.

Habet præfixa conſuſio Patronos Doctores omnes ſecundæ ſententiæ recitatos certamine 2. n. 1. aduerſarios vero Doctores omnes allegatos pro prima cum Scoto, cuius ratio in oppoſitum eſt: quia; quantumuis imperfecta Chriſti anima conſtituatur, atque aliis rationalibus creaturis imperfectione excedatur, tamen in gratiæ capacitate imperfectior rationalis creatura à perfectiſſima excedi nequit: quare nulla eſſe poteſt gratiæ capacior, quam Chriſti anima: ac proinde, ſi hæc habuit gratiam in ſummo quod potuit: ergo maximam gratiam abſolutè poſſibilem habuit. Eandem æqualitatem capacitatis gratiæ in omnibus creaturis rationalibus fateatur Soar. lect. 2. citata. §. His ergo poſt med. quia hæc capacitas obediencialis cum ſit, commendanda non eſt entitati, & perfectioni ſubiecti, ſed voluntati Dei, quæ eadem reſpectu omnium eſſe poteſt. Cæterum cum q. 2. oſtenderimus capacitatem gratiæ creaturæ rationalis eſſe potentiam influxiuam paſſiuè dubium non eſt quin à Deo poſſit produci vna creatura rationalis potentior paſſiuè, quam alia reſpectu gratiæ: quare, & gratiæ capacior. Vt mittam modo ex fundamento Soarij inferri potentiam obediencialem creaturæ fore infinitam iuxta potentiam, & voluntatis diuinæ menſuram: quare effectus limitationem, exempli cauſa gratiæ, aliunde probandam. ſatis difficile, vt vidimus. q. 2. cert. 1.

Idemque Gabriel, & Ricard. citatis locis cert. 2. n. 2. qui cum Scoto pro aduerſa ſtant conſuſione admiſſa inæqualitate phyſicæ capacitatis gratiæ in creaturis rationalibus aiunt in Chriſti anima, licet phyſicæ capacitatis minoris, tamen ratione vnionis hypoſthaticæ maiorem gratiæ capacitatem fuiſſe, quam in creaturis rationalibus puris eſſe poſſit: quare cum tota hæc capacitas animæ Chriſti fuerit expleta maximam gratiam abſolutè poſſibilem habuiſſe dicendum erit. Sed enim, licet vnionis dignitas ius det humanitati, atque exigentiam ad gratiam ampliorem, cum tamen ea dignitas gratiam non materializet, neque ad aliquid ipſius paſſiuè concurrat, ſed totum paſſiuum concurſum phyſicæ animi Chriſti capacitati, ſeu virtuti paſſiuæ relinquat, ad nihil amplius ſummo gratiæ ad quod nuda concurrere poterat paſſiuè, poterit concurrere hypoſthaticè vnita, ac Deitate dignificata: ac proinde, nec capacior eſſe ad gratiam recipiendā ex vnione: ſiquidem capacitas gratiæ in rationali creatura eſt potentia productiua, ſue educiua paſſiuè gratiæ ipſius ſecundo: ſi dignitas vnionis formaliter ſit capacitas, ſue ampliatio capacitatis animæ Chriſti ad gratiam recipiendam, cum ea infinita dignitas ſit, infinite ampliabitur capacitas animæ Chriſti ad gratiam: vnde non erit cur in horum ſententia negetur Scoto infinita intentio gratiæ Chriſti quam merito Gabrieli, & Ricardus negant: cum è ſola incapacitate infinita, & limitatione capacitatis animæ Chriſti probari ſolidè poſſit gratiæ Chriſti limitatio, & terminus, vt vidimus. q. 2. cert. 2.

Aliunde vero fundari poſſet maior capacitatis gratiæ in anima Chriſti, quam in reliquis rationalibus creaturis, etiam ſpecie perfectioribus: licet enim gratiæ capacitas ſequatur prædicatum genericum rationalis creaturæ, poteſt maior capacitas ex prædicato indiuiduali provenire: cum maior ſpeciei perfectio aliunde quam ex maiori, ac capacitate eſſe poſſit id quod oſtendo in prædicato generico, & ſpecifico. Plura enim, quæ ſpeciebus cõperantur ex prædicato generico, quod ſequuntur, vel for-

R. P. Chriſtoph. de Ortega de Dei Incarnat.

maliter etiam cõſtituunt, in ſpecie perfectiori à Deo perfectæ, atque in imperfectiori non ſunt: Ecquis enim neget bruta ferè omnia perfectius ſenſibilia eſſe, quàm homo, qui tamen perfectioris ſpeciei ſub genere animalis eſt? Experimur enim brutorum, pleraque acutiùs videre, ſubtilius audire, vehementiusque homine olfacere. Ergo capacitas gratiæ, quæ ſequitur prædicatū genericū rationalis creaturæ poterit eſſe maior in rationali creatura ſpeciei imperfectioris, quam ſit in aliunde perfectiori ſecundū ſpeciem creatura alia rationali: quia ex prædicato alio inferiori ea maioritas poteſt provenire: ergo, licet Angelus, aliæque plures rationales creaturæ perfectioris ſpeciei, quam anima aliunde ſint, poteſt hæc ex prædicato ſpecifico, vel etiā indiuiduali gratiæ capacior eſſe: quod ſi anima cuiusmodi non repugnat, ſed eſt planè poſſibilis eā in Chriſto Domino fuiſſe piè, ac theologicè fatendum nobis eſt: cum ad vnionem hypoſthaticam omnium perfectiſſimam animam ſelectam fuiſſe credere debeamus.

Cæterum diſcurſus hic noſter, licet aliis impugnatuſ ſpecioſior fortasè videatur, aduerſam conſuſionem non euincit. In primis enim non probat ſpecierum perfectiorum non poſſe dari indiuidua aliqua etiam indiuiduè perfectiora. Si autem dari ea non repugnet vnde nam ex perfectiſſima indiuiduatione animæ Chriſti maxima eius capacitatis gratiæ deducetur. Secundo diſcurſus quo ea maxima capacitatis animæ Chriſti deducebatur ſolidus non eſt. Etenim magis, ſiue perfectius ſenſitiua eſſe bruta hominibus nõ probatur ex eo, quod ad longius ſpaciū videant, audiant, olfaciant, ſed ſolum actu magis videre ex temperamento, & organo homini non apto, ſed poſſus incongrua. Nam perfectius animal, perfectius etiam ſenſitiuum eſt: neque brutum inuenietur omni ſenſu præſtantius homine, ſed aliquo ſolum: ſed eſto verum haberet in brutis intentum quoad operationes, & gradus materiales, qui in homine à corpore, & temperamento abſoluti non ſunt, non ſtatim inde ad potentias purè ſpirituales, qualis eſt capacitas gratiæ, teneret conſequentia. Sed teneat: nulla anima tantæ perfectionis assignabilis eſt ultra quam Dei potentia nequeat producere perfectiorè, & gratiæ capaciorem: quare licet huius animæ Chriſti capacitas gratiæ fuerit expleta, ac proinde ſummam, & maximam ſibi poſſibilem Chriſtus habuerit, vt q. 3. docuimus, non tamen ſummam, & maximam abſolutè poſſibilem.



QVÆSTIO IV.

De tempore, & cauſis gratiæ Chriſti vbi de eius augmento.



CAUSARVM gratiæ, nomine efficientem cauſam, ſiue phyſicam, ſiue moralem: ideſt actiuam, vel exactiuam, intelligimus. Nam de cauſa materiali, & finali productionis gratiæ nil, eſt diſputatio- ne dignum.

CERTAMEN I.

Tempus, & efficiens gratiæ huius ſtatuitur.

Dico primo. Ab inſtanti conceptionis ſummam illam habitualem gratiam ſibi poſſibilem Chriſtus habuit in hanc conſuſionem Theol. omnes conſpirant. Ratio à priori, & communis, etiam, & facilis, & data tapè in ſimili à nobis: eſt quia gratia, cæteraque creata donata à Deo humanitati collata conferenda fuere titulo vnionis hypoſthaticæ, ac, ſi placet mori infiniti operum

Z. z. z. humanitatis,

humanitatis, vt à Deitate dignificatorum, sed ab instanti conceptionis adfuit vnio hypostatica, & meritum infinitum operum humanitatis plurium, vt à Deitate dignificatorum: ergo ab instanti conceptionis data Christo fuit summa gratia habitualis: ne deus durus esset remunerator, cum sine aliquo fine, & fructu, qui non apparet, ornamentum hoc vnice sibi beneque merita humanitati differret. Confirmatur: quia nihil gratiæ ob exercitium virtutum deinceps futurum datum à Deo humanitati erat, datumvè postea fuit: ergo nec aliquid gratiæ reseruatum à Deo fuit ex instanti primo, & vltiori tempore humanitati Christi conferretur: ergo maxima gratia humanitati possibilis ab instanti conceptionis, data humanitati Christi à Deo fuit.

2 Dico secundo efficiens morale, siue exactiuum solum gratiæ habitualis Christi fuisse vnio hypostatica, & opera meritoria Christi instanti conceptionis sic censent Doctores omnes de vnione hypostatica, si pauculos excipias, qui docent gratiam, habitualement præcessisse naturam, vt dispositionem humanitatis ad vnionem hypostaticam: cum quo non stat dari gratiam ob vnionis exigentiam: imò neque ob opera, vt vnione, ad quam gratia præcesserat, dignificata. Eos tamen Doctores supra impugnauius. De meritoris operibus causam gratiæ Christi fuisse communis opinio est, à qua tamen discessere ij omnes, qui quæst. 1. certam. 1. gratiam habitualement ad dignitatem, & meritum operum Christi necessarium arbitrabantur, insuper Lugo, & Bernal. impugnandi. d. sequenti. Cæterum de vnionis titulo constat ex ratione, quam dedimus pro conclusione prima, ad ea enim omnia dona, quæ Christo Domino collata à Deo sunt, plus satis dignitatis in ipsa est: quare nisi aliquid ex eis probetur prioriori naturæ ad vnionem fuisse humanitati collatum, quod non habuit gratia habitualis, datum de facto vnionis hypostaticæ titulo tenendum omnino est. Atque eadem sanè ratio de merito Christi, eiusque infinito valore respectu eorum omnium, quæ ipsum natura non præcedunt, quare, & respectu gratiæ habitualis, æquè conclusionem euincit.

3 De causa efficiendi physica, siue actiua conueniunt omnes fuisse Deum an vero is efficiens totale fuerit? negasse referuntur falsò Medina, alijque Thomistæ: quæsi asseruerint gratiam Christi non à solo Deo actiue provenisse, sed etiam ab vnione hypostatica: cum tamen illi solum dixerint esse vnionis hypostaticæ passionem, sicut reliquos habitus supernaturales passiones gratiæ vocant, quin physice actiue ab illa provenire defendant: imò in sua opinione de productione passionum non ab essentia, sed à generante ne somniare quidem possunt, quod eis in præsentem imponitur. Id tamen docuerunt Nobiles Philosophi apud Vincentium de gratia Christi quæst. 2. a. 2. consequentibusque assererent Deum non fuisse efficiens totale physicum gratiæ humanitatis Christi Soar. & Granados, qui 1. 2. controuers. de grat. tract. 4. d. 18. lect. 5. numero 44. & de Incarnat. tract. 6. d. 3. cum Soario docet humanitatem Christi fuisse physicum instrumentum generale omnium effectuum supernaturalium etiam gratiæ in aliis: quare citius dicenda foret, fuisse etiam gratiæ in se ipsa productæ. Id ipsum alia via potuit docere idem Granados ex sua doctrina. 1. p. quæst. 12. d. 5. & 7. vbi cum aliis Recentioribus concursum specialem personis Trinitatis ad sui visionem concedit insuper Franciscus Abræ de Racionis. p. 3. tract. 1. quæst. 1. & Vvadingo. d. 4. dub. 4. paragrapho tertio, ex notatis num. 54. qui verbi specialem concursum physicum in hypostaticam vnionem tribuunt, similem illi in gratiam habitualement humanitatis possent non maiori incommodo tribuere. Denique non est cur Bernal. Granados. Soarius, & alij recu-

sent virginem fuisse physicum, instrumentum ad gratiam filij producendam: cum respectu vnionis hypostaticæ illi muneris obisse fateantur, apud Bernal. disputat. 10. sect. tertia, vt supra refellebamus.

4 Dico tertio: solus Deus concursu communi Trinitati fuit efficiens physicum gratiæ Christi. Est opinio Theologorum contra relatos, à Vincentio, & Granados. Ratio est: quia nec humanitas, nec B. Virgo potuit influere in gratiam habitualement nisi potentia obedientiali actiua in nostris principijs Chymica: neque ea admissa locum haberet de facto, cum Deus causa principalis gratiæ sit, quare non sine miraculo superfluo inuaretur creaturæ influxu obedientiali in eius productione quod ipsum de vnionis concursu dictum pura. Præterquam quod vnionis natura, & essentia est actu necesse extrema, non autem aliquid producere, seu alicuius, nedum gratiæ, actiuum principium esse: quæ rationes potiores illis sunt, quas dedit Valq. quod scilicet, si ab vnione gratiæ physice profueret naturaliter, & in gradu determinato profueret, quæ sine absurdo aduersarij admittent quin in gradu determinato, & summo humanitati possibili gratiam datam de factis q. proxima ostendebamus. At inquit Granados gratiam esse passionem vnionis. Sed quid inde cum passio moralis, non physica ipse sit. Imò neque vnionis est passio proprie adhuc moralis, sed dignitatis, quæ formaliter, seu tanquam à forma humanitati à Deitate provenit. Denique concursum specialem verbi in gratiam, ab quodvè creatum, toti Trinitati: non communem impossibilem esse satis ostendimus locis citatis.

CERTAMEN II.

Gratia Christi decursu temporis nec maior fuit, neque esse potuit.

1 Conclusio de facto omnium Theologorum est: de possibili vero eorum, qui maximam, vel sibi, vel etiam absolute possibilem, vel tandem infinitam gratiam habuisse Christum docere. Sed tamen communis à Deo conclusio communibus argumentis non satis constat. Probat aliqui ex pluribus Patrum testimonijs, quæ est de gratia habituali gratiæ, nec si de ea essent physici augmento gratiæ obessent, vt statim. Videbimus. Ratio solida conclusionis ex impossibilitate augmenti gratiæ in Christo petenda est. Etenim si augeri, maioreque esse potuit cur illud augmentum ob virtutes deum temporis decursu à Christo exercitas non donaretur, enim augmenti collatio nullo scripturæ, aut Patrum testimonio impugnatur, nec sui incarnationis, illius Christi Domini muneri aduersa est quo circa Valq. & Scot. consequentiam laudatam à Bernal. d. 3. o. lect. 4. §. 2. ratio, quam assequi nequeo, laudare non possumus potestatem in consequentiam miror, quod admissa possibilitate augmenti gratiæ supra eam, quam ab instanti conceptionis Christus habuit collatum de facto illud decursu temporis negent. Probat Scotus malè impugnatur à Bernal. proxime n. 52. quia gratia habet terminum intentionis quem gratia primi instantis pertigit. Impugnat Bernal. negato assumpto, quod tamen certum esse ostendimus. Sed tamen malè probatur ab Scoto vidimus, q. 2. & 3. Probat loca ex dissimilitudine graduum gratiæ à nobis impugnat. q. 2. cer. 1. n. 2. ex controu. 1. de generat. d. 1. malè autem eam impugnat Bernal. quia terminum intentionis gratiæ non habet, quod graduum dissimilitudine admissa est improbabile, vt citato n. 2. videbamus.

2 Mal. Ionatus apud eundem Bernal. num. 53. probat quia intensio gratiæ Christo statim in conceptione fuit infinita, vt ipse. q. 2. aiebat: infinito autem augmentum repugnat. Extremum hoc certum reputat Valq. ex eo quod probat Christi gratiam in se ipsam non esse, quia augmentum vltioris est capax. Sed tamen, sicut quod infinita potestur maius formaliter non faciat, sic ut neque quod illi detrahatur.

detrahitur reddat ipsum formaliter minus, quia maius, & minus formaliter sumptum sunt entis limitati, & mensurabilis affectiones, negari nequit quin entitatius aliquid infinito addi, detrahiue possit, vt supra docebamus contra Vvadingo nostrum. Secundo: principium illud de infinitate intensiois gratiæ Christi dissectum satis à nobis fuit. q. 2. citata Probat Bernal: quia non repugnat totam intensioem possibilem gratiæ: etiam infinitam simul, semelque à Deo produci: sicque factum in gratia humanitatis esse ait in primo huius instanti: cum quo pugnat dari sequenti tempore vltiore gratiæ intensioem. Minore probat: quia in primo instanti erat in humanitate infinita vnionis dignitas, addereque poterat meriti etiam infinita, sed contra primo: quia admissa in humanitate Christi infinita intensioe gratiæ capacitate nequit tota gratiæ intensio possibilis poni in Christo, quin ponatur tota gratiæ intensio absolute possibilis, si ergo tota hæc posita in Christi humanitate fuit in primo instanti incarnationis nihil gratiæ potuit Christus hominibus promereri per opera morte consummata: cum nihil gratiæ restaret. Contra secundo: quia omnipotentis virtus nullo, quantumvis magno siue intensioe, siue extrinsece, effectu producto exhauritur, effectusque manet ad maius aliquid producendum, nisi maius illud repugnet: atqui admissa possibilitate infinita intensioe gratiæ, & capacitate humanitatis ad illam non est vade repugnans plura, & plura infinita gratiæ, siue ex se, siue ex capacitate humanitatis: ergo quouis infinito gratiæ producto à Deo in humanitate Christi in primo huius instanti manet in Dei potentia virtus ad vltiorem intensioe gratiam ponendam in humanitate: quare admissa possibilitate infinita intensiois gratiæ in humanitate à Bernale est implicatorium antecedens: quæ atque in eorum opinione, qui negantes gratiæ infinitam Cathegorematicè intensioem, infinitam sincathegorematicè admittunt: cum quo pugnat tantam intensioe produci, vt nequeat produci vltior. Denique possibilitas infinita intensiois gratiæ humanitatis Christi, quam hæc ratio supponit est, prorsus falsa, vt constat ex q. 2.

3 Vnica ergo, & solida communitas huius conclusionis ratio est ex dictis q. 3. cert. 2. & 3. atque ex q. 2. Etenim ex eis constat Christi humanitatem determinatam, ac limitatam, non autem in determinatam, atque infinitam, gratiæ capacem esse: item habuisse de facto titulo vnionis, & meriti infiniti, quæ in primo quidem conceptionis instanti existere, summum gratiæ ipsi possibile: idque conaturali prouidentia, vt non nisi miraculose habere potuerit gratiæ minus. Cum hoc autem aperte pugnat de cursu temporis, & meritum succedentium habuisse, imo habere potuisse gratiam maiorem. Dices, licet intensio perfectione nequeat dari maior gratia humanitati Christi, at potest dari maior, siue melior secundum speciem: ergo, & eo modo poterit humanitas Christi in gratia crescere. In primis dato toto nihil contra conclusionem euincitur. Secundo antecedens dubium, ac fortasse falsum est, vt constat ex dictis controu. de gratia formaliter iustificante. Nulla quippe gratia habitualis dari posse videtur, quæ magis peccato adhuc veniali opponatur nec magis, aut melius filium Dei adoptiuum constituat, quam gratia habitualis nostra. Et si autem cum his prædicatis alia possint in eandem physicam entitatem aliquam constituere cum ad gratiæ lineam non spectent non inde fiet illam esse in ratione gratiæ meliorem, maiorem, aut perfectiorem. Sed de his citata controu. Data igitur ratio vnica, vt dixi, præ conclusione nostra estimo, & vnicum absolute illius fundamentum. Etenim Patrum testimonia quæ à pluribus ad rem hanc statuendam inducuntur extra rem esse aduertimus n. 1. id quod nunc sigillatim ostendemus.


4 Dionys. Alex. epist. contra Paul. Sam. apud Hophoth. nostri Turiani sic habet: *Homo maioribus gratiis à Deo bona voluntate eius honoratur, quando magis in studio virtutis ei probatur in Christo Iesu nihil horum spectatum est. Non fuit in eo propter prudentiam studium laboris, ac propter temperantiam ciborum abstinentia, vt pote, qui modum humanum superaret.* Naz. orat. 51. quæ est epist. 1. ad Cleodon. R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

num. 9. contra Photinum, Theodorum, & Nestorium, (qui Christum hominem purum, soloque affectu Deo coniunctum, in dieque magis sanctificatum ex operibus docebant) sic scribit: *Si quis eum ex operibus perfectum fuisse, aut post baptismum, vel resurrectionem in filium adoptiuum dixerit, quemadmodum, quos Græci adscriptitios Herodes inducunt anathema sit. Neque enim id, quod initium habet, aut proficit, aut perficitur, Deus est (sicut Christus per vnionem) Tamen hæc de eo idcirco dicuntur, quod paulatim sese patefecerit. & orat. 20. num. 65. isdem hæreticis obiectantibus id Luc. 2. & Iesus proficiebat sapientia, & etate, & gratia apud Deum, & homines. Ita respondet: *Proficiebat enim, inquit Lucas, vt etate, etiam sapientia, & gratia; non quod hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse possit?) sed quod hæc paulatim detegerentur, atque elucerent.* Sic vertit Synonime ad versionem communem Bernal. consonat. Damascen. latinus per Billium 3. de fide c. 22. his verbis: *qui autem eum progressus in sapientia, & gratia proinde scisse aiunt, ac si eorum incrementum acciperet, non à primo illi carnis ortu factum esse vnionem asserunt.* Eo etiam sensu Lucæ locum intelligunt Euthym. ibi Athanas. orat. 4. contra Arrian. Hieronym. in id Iesai. 7. vt sciat puer reprobare malum, atque in id Hierem. 3. Mulier circumdabit vinum. Bernard. hom. 2. in Missus est. Circa medium. Cæfari. dialog. 1. post opera Nazianzeni. Vigilii. 3. & 5. contra Eurychet. t. 5. Biblioth. gaudent. respon. ad Paul. Diacon. in id Ioan. 14. Pater maior me est. t. 3. Biblioth. Beda hom. 1. in Euang. Dominica. 1. post Epiph. circa fin. t. 7. Hugo Victor. de incarnat. verbi. c. 6. Cyril. Alex. 10. Thef. c. 7. & 1. in Ioa. c. 17. de quo loco plura diximus d. 1. q. 4.*

5 Sed tamen recitati Patres longè aliud contra præfatos Nestorianos hæreticos contendunt. Primo enim contendunt præcipue vnionem physicam humanitatis ad verbum factam initio, neque vnquam Christum purum hominem fuisse sicut ex profectu, & augmento in gratia, & sanctitate Christi à Luca asserta probare hæretici conabantur, quibus respondent non potuisse gratiam, & sanctitatem augeri, in eo, qui vnione physica ad diuinam personam, & Deus erat, & infinita, ac substantiali Deitatis sanctitate sanctificabatur, quæ, cum eminenter contineat omnem sanctitatem creatam, quantumvis hæc augetur non redderet sanctiorem, magisve sanctum hominem Christum, eiusve humanitatem. Nec refert quod obiicit Bernal. sect. 4. §. 1. num. 43. versus *Ceterum* eodem modo negari à Patribus augmentum sanctitatis, atque sapientiæ in homine Christo. Loquuntur autem de augmento sapientiæ creatæ, ergo, & de augmento sanctitatis creatæ, & vrgeri instantia hæc possit, quia sapientia increata non sapit formaliter humanitas; quare ex eminentiali continentia cuiusuis scientiæ creatæ in increata nequeunt negare augmentum scientiæ humanitatis Patres præfati, sed solum, quia scientiæ creatæ additionem nequeunt; ergo dem etiam volunt de sanctitate, & gratia creatæ. Respondetur tamen ad vrgentiorem hanc instantiam confirmationem eodem argumento, eodemque sensu tandè vtrumque negari à Patribus. Nam licet ex vnione ad Deum humanitas non sapiat sapientia increata, at sapit sapientia creatæ, infusa nobiliori quâ experimentalis, & in qua hæc eminenter continetur: quare merito eodem, vel simili discursu negant per scientiam experimentalem reddi humanitatem Christi sapientiorum, licet hanc denuo accidere humanitati admittant, quare licet admittent sanctitatis creatæ nouum ad humanitatem accessum, augeri tamen negarent ob rationem similem continentie eminentialis in sanctitate infinita substantiali Deitatis, qua humanitatem sanctificari docent. Vtrumque autem refunditur in vnionem humanitatis ad Deum ratione cuius proximè humanitas sanctificatur, & remotè fit sapiens scientia perfectissima infusa nobiliori, quam experimentalis, cum scientia illa infusa titulo vnionis humanitati donetur, quare ab his, qui augmentum sapientiæ, & sanctitatis in homine Christo admittant negari vnionem hypotheticam merito aiebat

Damascenus, Nazianzenus vero negari ab eisdem Christum esse Deum asseruit.

6 Contendant secundo Patres iidem testimonii recitatis virtutes humanitatis Christi, siue inclinationes ad omnigenum bonum, & honestatem, atque à malo omni auersionem non fuisse labre, studio; & exercitio diuturno humanitati Christi paratas, sed vnione ipsius ad Deum statim simul, semelque habitas. Hoc expressè sonant verba Dionysij Alexandrini: neque obscurius verba Nazianzeni, & Damasceni, vt legenti patebit, quod autem inclinatio hæc ad bonum, firmiterque ad illud adhæsit, atque auersio à malo sanctitatis nomine censeatur constat apertè: quia inde vnum alio homine sanctiorem vulgo dicimus, & perfectiorem, quod ad virtutum opera promptiorem, & contra vitia firmiorem iudicemus. Denique quod Patres non negent gratiam, & sanctitatem, quam initio, atque ab instanti conceptionis humanitas Christi habuit, decursu temporis augeri, vel ex eo liquet: quod Patres gratiam, siue sanctitatem creatam in humanitate Christi, vt non negauerint, saltem nusquam recognouerint, vt ostendimus. quæst. 1. quare neque statim datam totam, neque paulatim decursu temporis auctam negare, neque asserere potuerunt. Stet ergo fixum ex Patribus, nihil pro conclusione præsentis firmum esse posse.



DISPUTATIO IV.

De virtutibus, & donis spiritus sancti humanitati Christi datis.

IN Theologicas, & Morales vulgò diuiduntur virtutes. Atque morales rursus in per se acquisitas, & naturales, & per se infusas, ac supernaturales: atque ex his quidem non solum pia affectio ad credendum, & religio, siue adoratio, & si quæ alie natiuum supernaturale essentia, genereque, vt aiunt, suo concernunt numerantur à nonnullis, sed, & morales etiam, vt temperantia, fortitudo, & similes, quæ è suo genere nihil concernunt tale, & quoad Theologicas virtutes constat ex d. 2. q. 5. cert. 2. actum fidei in Christo fuisse: quare, & habitum fidei in eius humanitate esse admittendum. De actu igitur, habituque spei, & charitatis, præque effectio ad credendum dubitari solum in præsentis poterit. Insuper de habitibus reliquarum virtutum, quas summa perfectione exercuisse Christum citra dubium est. Denique de donis, & gratiis spiritus sancti.



QVÆSTIO I.

De virtutibus Theologicis animæ Christi, de que pia affectionis virtute.

DE virtute spei, & charitatis procedit, vt dixi, quæstio. quibus virtutem piæ affectionis ad credendum coniunxi, quia ad vltimus virtutis Theologicæ, nimirum fidei, actus necessaria videtur.

CERTAMEN I.

Circaspeim suæ gloria conclusiones.

1 CVM harum virtutum munus sit potentiam complere ad actus earum elicendos non a fronte melius eiusmodi habitus probabuntur in Christo, quam ex eiusmodi actuum decentia, ex qua in Christo in factis probantur. C. in enim eiusmodi actus non nisi ex suis habitibus connaturaliter haberi à Christo queant, que connaturaliter haberi illos, si habeantur, oportet asserere, eorum habitus in Christo fuisse tenendum proculdubio erit. Animaduertendum tamen hic erit cum Vindingo. d. 5. dub. 4. ac ferè omnibus Recentioribus politioribus opus non esse omnes virtutis vnus actus ab aliquo exerceri, vt habitus ipse in ipso fuisse asseratur, sed fuisse esse, vt aliqui, vel aliquis earum actus ab illo exercerent, vt habitus in eo fuisse probetur. Id quod probatur facile. Primo: quia à nullo iusto, in quo habitum spei esse curdubium est, omnes spei actus eliciuntur. Secundo à priori quia quicumque actus virtutis supernaturalis, vt connaturaliter eliciatur (quomodo in communi, & connaturaliter prouidentia elici debet) habitum debet supponere, qui vt connaturaliter, ac non miraculosè existat in subiecto esse debet, cum accidens essentia sua sit.

2 Dicendum igitur primo est, fuit in humanitate Christi actus spei. Est ferè omnium Doctorum, quos proinde sigillatim non recenseo. Probatur facile quia sui, vt minimum, corporis gloria erat bonum futurum, vt tale cognitum à Christo, arduumque, quia ab alio obtinendum, nempe à Deo: ergo erat obiectum proprium spei, quodque sperari honestissimè à Christo potuit: ac proinde fuit ab illo speratum. Sed dices arduum non in eo licet esse, quod ab alio solum futurum bonum sit, sed quod sit contingenter futurum, atque, vt tale cognoscatur gloriam autem sui corporis Christo contingente non esse, neque vt contingente sibi cogitam, sed, vt certam. In primis solutio hæc animabus purgatorij actum spei circa suam gloriam apertè contra omnes, non adeo nuperos, sicut nuperos, nescio quos Theologos profus denegat, dum particulà illam contra omnes nullo commodo, atque non probabiliori sic explicat. Contra secundo: quia bonum illud gloriæ corporis contingente est futurum à Deo: cum ita futurum sit à Deo, vt absolute poterit non esse: siquidem antecedenti potestate donum illud, sicut, & reliqua collata humanitati, poterit Deus posita etiam hypothetica vnione, ac meritis Christi; absolute denegare. Contra tertio: quia contingentia futuritionis, quam excludit ipsius certitudo, potius minuit, & hebetat obiectum spei, vt à desiderio strictè, ac præse sumpto distinctè: atqui nihil, quod hebetat, minuitve obiectum actus, atque eius vires motiua ad actum potest esse de essentia, obiecti motiui actus, vt patet: ergo contingentia, siue incertitudo boni futuri, nequit esse de essentia obiecti motiui spei.

3 Maior probatur: quia motiuum spei, vt à desiderio præse dicto distinctè est bonum cognatum non solum, vt absens, siue non existens, & possibile præcessiue (sic enim est obiectum motiuum desiderij, vt ab spe, & desiderio præse dicto abstrahit, estque illis commune) sed futurum: ergo quod minuit cognitum boni futuritionem minuit obiectum motiuum spei: atqui futuritionem contingentia, & incertitudo minuit futuritionem cognatum boni, eiusque vires motiua actum spei, vt à desiderio præse dicto distinctè: ergo minuit obiectum motiuum proprium spei, vt à desiderio præse dicto distinctè.

distinctione. Contra tertio: quia incertitudo, & contingentia futurationis boni ex parte obiecti ponit non futurationem boni, quæ opposita est futurationi boni, ac proinde contradictorium futurationis boni, quod est motuum spei: ac contradictorium motuum ad actum, nequit esse motuum actus, siue essentialiter ad illum requiri: ergo nec contingentia futurationis potest requiri ad actum spei. Contra quarto: quia contingentia futurationis inducit ad timorē, estque motuum ipsius: ergo nequit esse motuum spei: alioquin idē esset actuum ex genere suo oppositorum motuum, essentque proinde actus & genere suo oppositi essentia sua connexi: quod implicat, ut in simili de timore agens dicebam d. 2. q. 3. cert. 2. n. 4. & 5. Nec instabuntur arg. hæc in arduitate, seu difficultate boni sperari, in quocumque hæc ponatur, quæ retrahit ab spe voluntatem, ac timorem etiam inducit. Nam etsi arduitatem in obiecto spei contineri dixerimus, nō tamen, ut difficultatem dicit boni retrahentem ab sperando, sed ut dicit bonum ab alio fore, ut cōmuniter à Doctoribus explicatur, in quo nulla est difficultas: cum possit esse ad bonum facilis alius: quin à duro, & difficili nemo bona sperat, quid autē de arduitate sic etiam intellecta censemus contra de spe diximus.

4. Dico secundo. Circa gloriam essentialē animæ habuit Christus actum spei. Conclusio hæc est contra Scotistas plures, & contra nostrum Vasq. d. 43. & affectas non paucos. Eam tamen docent cum pluribus Lugo d. 16. sect. 7. Vadingo d. 5. dub. 4. citatur. Soar. 3. p. q. 7. a. 4. Sed tamen de spe actu negat ibi expressē. Licet de habitu spei affirmet ob rationem infra dandam conclus. sequenti. Probatur autem conclusio hæc: quia, licet actus spei proprius nequeat esse dare possit, si, & præsentem, sed de re possidentem, & futura gloria essentialis animæ crastina, siue diei sequentis futura erat, ac possidentem à Christo: ergo poterat ferri in eam Christus actu proprio spei. Dices gloriam essentialē animæ esse visionem Dei essentialiter veram, suæque perpetuitatis representatiuam: quare, & in sui initio erat continuationis suæ possessio: ac proinde non poterat cognosci tunc, ut futura. Contra primo: quia in nostra, & plurium Scotistarum veteri sententia gloria essentialis animæ non in visione, sed in fruitione consistit, quare perpetuitas essentialis ex essentiali vera suæ perpetuitatis representatione, quæ in visione est, illi non adest. Contra secundo: quia, licet visio beata sit, essentialiter nequit se representare, ut opus erat ad suam perpetuitatem representandam. Id enim solum est proprium cognitionis diuinæ est suo genere infinita, ut sæpè monstrari controuersis de anima, ac de scientia Dei ex repugnantia prioritatis realis cognitionis respectu sui ipsius. Tertio: æternitas visionis, quæ ipsa visione representaretur non poterat esse indiuisibilis, & tota simul, quæ est æternitas propria Dei, sed diuisibilis; constantque partibus durationis creatæ, licet infinitis: quare licet ex essentiali veritate visionis non posset non esse, quod contingentia non essendi, & durandi per æternitatem opponitur: at non est initio sui suam durationem æternam, siue æternitatem possideri nullamque eius partem esse futuram.

5. Dices secundo in beatitudine, siue gloria essentiali crastina non esse futurationem gloriæ: Nam futurationem rei cuiusvis duo dicit, & non esse nunc, & esse duratione sequenti: gloria autem essentialis animæ Christi, licet habeat existentiam duratione sequenti, tamen in primo instanti non habuit non esse, sed potius esse, & existentiam: quare tunc non erat futura, neque, ut talis, cogitanda à Christo poterat, neque sperari proprie: cum proprius spei actus circa bonum futurum esse debeat. Nec refert negationem boni cū illud speratur, quam dicit futurationem, ne partialiter quidem amari à voluntate cum bonum futurum amatur, siue speratur proprie: quia plura, quæ non amantur in se possunt esse ratio saltem partialis amandi, aliquid, siue conditio, ut aliquid ametur, ut patet in affectu penitentis, qui nequit esse nisi de peccatis, quæ non amantur. Sed contra tamen est: quia futurationem non dicit negationem existentiam nunc sensu adhuc proprio, sed existentiam in duratione sequenti, alioquin nulla voce propria significaretur rei existentis duratio sequens. Nam

R. P. Christoph. de Ortega de Dei incarnat.

solum significatur verbo temporis futuri, quod proprie significat futurationem: ergo si rei futurationem dicit non solum durationem rei sequentem, sed præsentem negationem illius non significatur, imo nec significari proprie poterit rei existentis duratio sequens. Neque in sensu proprio, & stricto vera erit nunc hæc propositio. S. Petrus videbit Deum per æternitatem, sed eius potius contradictoria, quæ est erronea.

6. Futuratio ergo, licet in essentialiter successibus, ut tempus, & duratio dicat negationem existentiam pronunciam, eam solum dicit ratione materiæ non formæ futurationis; quatenus tempus, siue duratio crastina essentialis sua nequit esse hodierna: at in rebus permanentibus, cum utraque duratione esse, durareque possint earum negationem hodiernam futurationem non dicit. Sed instabis res adhuc permanentes præterita formaliter, ut præterita dicit negationem existentiam duratione præteriti: ergo res futura adhuc permanentes, ut futura formaliter, dicit negationem suæ existentiam duratione præteriti. Sed contra: quia præteritum, ut præteritum formaliter dicit, rem præteritisse, at vero futurum solum dicit rem fore, in quo non inuoluitur negatio existentiam ipsius duratione præteriti, nisi addatur futurationi puritas futurationis, quæ res purè futura sit, tunc enim dicit negationem eiusmodi, atque per omnia æquiparatur rei præteritæ formaliter, ut præteritæ. Secundo præteritum etiam dicitur etiam de re, quæ adhuc existit licet non sub plura præteritione. Nam de S. Petro verè dicitur vidisse Deum, atque habuisse gloriam die, quo fuit Romæ martyrio coronatus. Ratio est: quia, cum propria, & primaria præteritio temporis suæ ratione illius rebus permanentibus competat sicut, & futurationi, ex ea solum, quod tempus designatur per verbum sit proprie futurum, vel præteritum, nec actu præteritum, res permanentes satis proprie, secundario, quo solummodo potest, dicitur præterita, vel futura, licet actu existat. Demum, quidquid de proprietate futurationis rerum permanentium sit, etsi dicat negationem existentiam earum tempore præteriti actum spei non dicere ex parte obiecti futurationem, ut eam negationem continet non solum, ut motuum, sed neque, ut conditionem, aut materiam necessariam, rei sperandæ constat, quia gratiam; ac beneficium Principis, quo nunc fruimur quodque habemus sperare possumus deinceps fore continuandum; & timereque, ac desperare fecus à Principe esse deinceps agendum.

CERTAMEN II.

De spe Christi conclusiones reliquæ.

1. Super Christi spe de gloria bonisque reliquiis aliorum inter Vasquistas, & Soaristas hæc est non exigua: negantibus primis actum spei Christi circa illa, afferentibus vero secundis quocirca de de nomine deceretur. Dicendum est tertio, circa bona aliorum, siue gloriam, siue quidpiam aliud potuit esse actus spei absolute in Christo: imo, & fuit de facto. In hac conclusione absolute prolata non est inter Vasquistas; & Soaristas dissidium, ut constat ex conclusionis probatione. Ratio conclusionis est: quia, licet actus spei sit necessario, & essentialiter actus concupiscentiæ, ac non amicitia; circa bona aliorum potest esse in Christo actus concupiscentiæ: ergo potest esse in Christo actus spei. Probatur consequentia: quia in aliorum bonis est iudicium futurationis à Deo in Christo, & in pluribus negatio existentiam: ergo si potest esse absolute affectus concupiscentiæ circa illa in Christo negari nequit posse absolute esse in ipso actum proprium spei circa illa: cum nihil ab illo Doctore requisitum ad actum proprium spei in eiusmodi bonis deficit. Probatur Antecedens: quia aliorum bona; puta redemptio, salus, & gloria de se conductiua sunt ad gloriam accidentalem animæ Christi, sicut, & aliorum Beatorum, atque ad nominis sui exaltationem; ergo, ut sic conductiua, poterunt amari à Christo futura: at ut

ficam: eatur ex affectu concupiscentia: ergo circa bona aliorum potest esse absolute in Christo actus proprius concupiscentia. Probat secundum antecedens idem: quia ratione vnionis moralis in idem mysticum corpus, cuius Christus est caput, & coniunctionis affectu Charitatis, quae propria aliorum bona facit, sua reputabat aliorum bona futura Christus: ergo ea, ut propria, & sua poterat actu voluntatis prosequi ex concupiscentia: ergo, & ea sperare proprie: quae spes actualis, cum honesta sit neganda à Christo non est.

2 Dicendum est quarto: circa bona aliorum, ut aliorum etiam, nec solum, ut Christo commoda, & propria, fuit in Christo actus spei. Est conclusio Soarj, & affectuum contra Vasquez, & suos: eius probatio ex eo vice pendet, quod actus spei è suo genere essentialiter concupiscentia non sit, ut aduersarij contendunt. Id autem suadetur: quia bonum alterius eiusdem rationis est respectu alterius, ac respectu nostri, atque æquè futurum, & ut tale cognitum, atque sic cognitum ut bonum, æquè motiuum, atque bonum eiusdem rationis cognitum futurum respectu nostri: ergo poterit mouere ad actum spei. Dices actum ex complacentia alterius esse formaliter amicitia: qui essentialiter diuersus est ab actu concupiscentia respectu boni proprii. Neque id nego, aut dubito. Sed non contendo actum spei, ex complacentia alterius in respectu ad bonum, cui fore eiusdem rationis cum actu spei ex concupiscentia elicium. Sed utrumque actum in respectu ad bonum, qui, siue, quod speratur, & mouet affectum voluntatis, ut bonum amatum propterea conuenire: quare ex eo quod moueat, ut futurum & si placet à Deo futurum, vel ab alio abstrahi ab eo, & ab affectu, quo bonum futurum ab alio, siue à Deo, sibi quisque, vel Christus prosequitur, conceptum communem spei, sicut abstrahitur conceptus communis desiderij ab affectu, quo nobis, & quo aliis bona desideramus, quod est valde diuersum, nec solutione quassatur. Etenim affectus desiderij, quo bona aliis desideramus essentialiter etiam est affectus amicitia, habetque respectum ad bonum, qui complacentia, qui essentialiter repugnat affectui desiderij, quo nobis bona eiusdem rationis prosequimur ex nostri concupiscentia: & tamen affectus ille circa bona aliorum, quæ ut aliorum, ex amicitia, & complacentia alterius, est possibilis, est proprie desiderium ex eo præcisè, quod bono eiusdem rationis cum nostro moueatur, & in illud secundum rationem eandem feratur: ergo ob easdem rationes dabitur circa aliorum bona, actus spei proprius.

3 Dices secundo: non posse dari actum spei ex complacentia alterius, siue non ex concupiscentia, qui solus affectus esse potest circa bona aliorum, ut aliorum: quia totum motiuum, in eo affectu est, bonitas personæ amatae ex cuius complacentia eiusmodi bona ipsi euenire desideramus: ideo enim ea ipsi volumus, & optamus, quia in eo complacemur ob eius bonitatem, ob quam formalissimè illum amamus, atque in eo complacemur: quare non est obiectum motiui formale, ut illi ea optemus idem, atque nobis: siquidem nobis ex concupiscentia ea optamus formaliter, quia bona, non autem ex complacentia in nostra bonitate, siue ob nostram bonitatem. Sed contra est: quia, licet bona alterius, & aliena futura, ut aliena non nisi ex complacentia in eius bonitate ipsi optare possimus aut ea optamus formaliter quia illi bona æquè, ac nobis, quia nobis bona: ergo ex hac parte idem habemus, motiuum formale, ut alteri optemus bona futura, atque, ut optemus nobis, licet, cum alteri, quia ipsius bona sunt ea optamus alter sit respectus ad bonitatem personæ in qua complacemur, & ex cuius complacentia bona præfata ipsi optamus: qui respectus complacentia respectu nostri opus non est, cum ea nobis volumus, atque in hoc solum monstratur differentia spei, que sit benevolentia simul, ab spe, que sit sola spes concupiscentia, ut nuper dicebamus, quod autem moueamur ad optanda alteri bona futura ob eorum bonitatem respectu illius, sicut ad optanda nobis mouemur ob eorum bonitatem respectu nostri probatur facile: quia, licet ea ipsi non optaremus nisi quia complacemur in eius bonitate, ac proinde non nisi

ex complacentia ipsius: aut posita ea complacentia ea ipsi non optaremus nisi, quia ipsius bona sunt, & ob eiusmodi bonitatem, quam in illis, quæ ipsi optamus, recognoſcimus, ut patet: ergo eiusmodi bonitas est etiam motiuum, ut ea bona futura ipsi optemus, æquè, ac bonitas respectu nostri, ut similia nobis ex concupiscentia optamus. Solumque est discrimen, quod complacentia personæ alterius loco naturalis inclinationis respectu nostri supponenda sit, ut ea bona alterius, ut alterius ipsi velimus, vltimum autem determinatiuum, seu motiuum affectus circa bona alterius futura est eorum bonitas respectu ipsius æquè atque bonitas similibus bonorum respectu nostri est motiuum formale affectus, quo ea nobis concupiscimus.

4 Probatur vltimus idem antecedens: quia cum bona aliorum, ut aliorum nondum habita desideramus, æquè, ac cum nobis ex concupiscimus: quin de hoc diffidium inter Scholasticos fuerit nunquam, esse potest, & tamen ea illis, ut illorum desiderare non possumus nisi ex complacentia ipsorum: ergo hoc respectu non obstante in eo desiderio est respectus ad motiuum bonitatis eorum, quæ ipsis desideramus æquè, atque cum desiderio, quo nobis similia concupiscimus respectu est ad eorum bonitatem respectu nostri. Infero secundo: ergo possumus eam bona aliorum, ut aliorum sperare ex complacentia, & Charitatis affectu, æquè atque similia nobis ex concupiscentia: si ad hinc cætera ad spem proxi à desiderio stricto requisita: nempe cognitio de eorum futuratione præntia, & arduitas si placet hanc etiam ad spem requiri. Hinc probatur vltimo conclusio: quia cum bona cognita, ut futura, & ardua, siue ab alio futura, ut talia ipsi ex eius complacentia optamus ea ipsi desideramus desiderio, stricto, quod nequit moueri, ut tale est, à boni absentis futuratione, & arduitate cognita, sed solum à cognitione possibilitatis: ergo ea ipsi desideramus spei actu proprie dicto. Patet consequentia: quia desiderium in communi ad æquè diuiditur in desiderium strictum & spem propriam, tanquam in duas species, vel assigna aliam desiderij speciem ad quam desiderium eiusmodi pertineat. Secundo quia sunt omnia requisita ad actum spei, nempe moti à boni ardui, & futuri.

5 Dices: actus quo Christus proprie speraret bona aliorum, ut aliorum esse, ut fatemur ex complacentia alterius pone esse ex complacentia Dei, ut planè potest nisi actus spei essentia sua sit actus concupiscentia: ergo idem actus esse spei, & Charitatis, quod æquè videtur impossibile, atque eandem euitatem esse hominis, & leonem. Responderetur primo negando consequentiam. Æstimo enim actum complacentia ex quo alteri bona desideramus esse causam eiusmodi desiderij ad eum ferè modum quo intentio est causa electionis, siue ad eum imperans imperari duobus exceptis. Primum quod non oportet bonitatem personæ actu desiderij, siue spei de eius bonis amari, quia bonitas eorum non est formaliter respectiua bonitatis personæ, sicut est bonitas mediæ electi respectiua formaliter bonitatis finis, ac proinde eam formaliter electione amandam necessario censent plures. Secundum, quod posita complacentia personæ non cogitur voluntas ad speranda ipsi bona, sicut cogitur ab actu imperante ad imperatum, nisi forte valde vehementer complacentia, & amor personæ sit. Respondeo secundo admissa consequentia in qua nullum est absurdum, quod scilicet voluntas ob duplex motiuum, quorum vnum quodque actum vnus speciei posset terminare, atque à voluntate sollicitare tertium aliud simul electi speciei nimirum alterius. Imo vero iuxtam vulgarem sententiam actus spei ex complacentia alterius, & Charitatis vnus speciei est sicut actus, quo nobis speramus ex concupiscentia nostri, licet ab habitu Charitatis elicatur, ex quo, & desiderare, & sperare Theologicè possumus alteri bona, quia amare est velle alicui bona, habitus autem spei datur ad similes actus ex nostri concupiscentia habendos, quia ad naturalem nostri complacentiam habitus supernaturalis non ad, ex quo nobis supernaturalia, spe supernaturali sperare possumus solumque

solumque inclinatur ad sperandum bona nostra ex concupiscentia nostri, ex qua nobis sperare non possumus habitu Charitatis, illud de homine, & leone non est ad rem.

6 Dicendum est quinto: in Christo fuit habitus spei. Hoc concluditur ex conclusionibus hæcenus datis, ut constat ex ratione facta à nobis cert. 2. num. 1. ut enim tot actus connaturaliter eliciantur ab habitu spei, supernaturali debent provenire, non ab auxilio extrinsecò: ut autem eiusmodi habitus connaturaliter sint, cum sint accidentia debent esse in subiecto: nempe in anima Christi Domini, & quamvis nullum spei propriè actum humanitas exerceret, tamen habitu spei admittendus in illa foret. Probat: quia esset circa eiusmodi bona, ut possessa gaudium Christi, ut à Deo obtenta, atque ob eandem formalitatem, quod proinde supernaturale, & Theologicum esset: ergo ponendus esset, ut connaturaliter eliceretur habitus Theologicus supernaturalis, qui non potest non esse spei, nisi quartus alius habitus supernaturalis, & Theologicus hæcenus inaudit admittatur. Secundò, quia eiusdem facultatis, & potentie est gaudere de bono possesso, & desiderare, seu sperare possidendum. At obiicit Valq. illud ad Roman. 8. quod videt quis, id est possidet, quid sperat: ergo gaudium de bono possesso non spectat ad virtutem, seu habitum spei. Nego consequentiam. Nam præter actum, à quo præcipue virtus, & habitus hic denominatur, habet actus alios. Probat: secundo conclusio: nam licet non esset actus spei circa eiusmodi obiecta, esset tamen in Christo desiderium propriè strictum Theologicum, & supernaturale circa gloriam omnium, quod nemo Catholicus negare posset, etiam, ut ardua, ut à Deo, quod quidem ob eandem rationes non nisi ab habitu spei Theologico esse posset, ut connaturaliter eliceretur. Obicit ex Valq. ergo displicentia, vel nolitione, siue desiderio non habendi gloriam in perpetuum, ut potè oppositis actibus ad illis ad spei virtutem pertinentis admitteretur habitus, seu virtus spei. Admisit male consequentiam Bernal. Non enim quouis actu opposito cuius actui virtutis spei habitus spei admittitur, sed solo actu dispensationis. Cum enim non ex natura rei, sed meritorie expellatur eo solum expelli dicendum est, quo expelli decreuisset Deum nobis confiteri. Solo autem actu disputationis expelli nobis constat.

CERTAMEN III.

De habitibus Charitatis, & pia affectionis.

1 HAbuisse actum, ac proinde habitum Charitatis Christi humanitatem est à nullo etiam hæretico, negatum. De actu Charitatis est de fide: de habitu vero est fidei proximum, cuius oppositum error contra fidem sit, vel saltem temerarium. Non quidem, quia ex Tridentino habitus Charitatis gratiæ indiuiduus comes sit, cum ostenderimus probabiliter, ac sine vilo grauioris censure periculo gratiam posse humanitati Christi denegari, sed quia actus Charitatis à quocumque eliciatur connaturaliter, ut diximus in simili de actu spei, eliciendus est, nisi aliunde constet, secus à Deo fuisse dispositum extraordinaria providentia. Non est autem vnde probabiliter constet ita à Deo fuisse dispositum, ut Christus providentia extraordinaria auxilij extrinseci Dei, non autem connaturaliter actus Charitatis eliceret: ergo non nisi temerè habitus Charitatis Christo denegabitur. Confirmatur: quia bonæ consequentia certitudinis physica, licet metaphysicè potentia Dei possit esse mala, nisi ex reuelatione oppositum constet non nisi temerè negabitur: præcipue si eam Doctores omnes admittant, ut in præsentis casu euenit. Denique habitus charitatis, siue ex natura rei, siue ex Dei lege comitatur indiuiduè habitum gratiæ, seu iustitiæ, & sanctitatis eo

præcisè, quod formalis sanctitas, ac iustitia animæ sit: siue ergo anima Christi sancta constituatur per gratiam, siue per Deitatem, aliudvè diuinum media vnione hypostatica, eiusmodi sanctitatem, & iustitiam comitari naturaliter debuit habitus Charitatis.

2 De habitu piæ affectionis ad credendum maius est inter Scholasticos dissidium, an Christo adfuerit: quia maior est de eius actibus in Christo addubitandi occasio etenim pia affectio ad credendum eo solum data est, ut intellectus noster, qui obscura reuelationis propositione determinari ad credendum nequit atque de se quæ salis potentia libera non est, determinetur eiusmodi affectione pia ad fidem concipiendam: ex quo fit, ut cum reuelationis, autoritatique diuinæ evidentia adfit eiusmodi pia affectio ad credendum oriatur: ea siquidem evidentia posita ponitur intellectus determinationum ad fidem, non secus ac posita evidentia præmissarum, qua extremorum connexio evidens fit, intellectus satis ad assensum conclusionis determinatur. Neque satis est, si dicas: evidentiam reuelationis, & autoritatis diuinæ, non reddere veritatem rei reuelatæ in se claram intrinsecè, siue per intrinseca principia, sed extrinsecè solum, & in alio: nimirum in reuelatione, & autoritate reuelantis. Etenim non minus necessariò connectit extrema veritatis reuelatæ autoritas, & reuelatio infallibilis euidenter ipsorum connexioni assistens, quam connexio ipsa euidenter nota, cum fortius motiuum infallibilique medium ad eiusmodi connexionem, & identitatem extremorum conuincendam sit. cum ergo in Christo dubio procul evidentia reuelationis autoritatisque diuinæ adfuerit satis adfuit, quo ipsius intellectus ad fidem concipiendam, atque eliciendam circa reuelata determinaretur: quare actus piæ affectionis, ac proinde, & habitus ille videtur prorsus denegandus.

3 Dicendum nihilominus est in Christo fuisse piæ affectionis habitum supernaturalem. Probat bene Bernal quia in Christo Domino fuit desiderium de fide aliorum, siue ex eorum complacencia, & Charitate, siue ex Charitate Dei, qui quidem supernaturalis est, æquè, atque ille, quo efficaciter vellet suam fidem ob supernaturalem eius honestatem, & motiuum: item, & ob honestatem, quam in ea pia affectione, siue desiderio de aliorum fide cognoscebat, ergo & debuit habere habitum supernaturalem ex quo eiusmodi desiderium connaturaliter eliceretur: atqui hic habitus alius, quam piæ affectionis esse non poterat: tum quia alius inauditus est; tum quia idem habet motiuum. Secundo probo: quia in Christo fuit gaudium de fide, quam, ut suprà diximus, habuit: ergo hic actus gaudij, supernaturalis cum sit, habitum supernaturalem supposuit: at hic non potuit non esse habitus piæ affectionis ad fidem: tum ob rationes proximè datas: tum quia eiusdem facultatis est desiderium, seu voluntas agendi, & gaudium de re possessa, & peracta, ut dicebamus cert. 2. num. 6. Tertio probo: quia Christus non solum se determinabat quoad speciem actus, sicut creata reliqua agentia, sed etiam quoad indiuiduum, ad quod reliqua creata determinantur à Deo controu. 6. d. 1. q. 2. cert. 2. n. 5. quia indiuiduationem suorum actuum non percellent, sicut Christus: ergo ut actum hunc fidei eliceret Christus, potius, quam alium hunc in indiuiduo, debebat velle voluntate, & imperio despotico suæ voluntatis ad intellectum quoad indiuiduum indeterminatum, & de se indeterminabilem, & supernaturalem quidem: cum in actum supernaturalem secundum se totum ferretur, ac proinde ab habitu piæ affectionis supernaturali oriri debuit.

4 Et hæc quidem probationes faciliores. Ea sunt, quam adhibet Soar. ex quo alij, qui actum fidei in Christi humanitate negant, imò cum rerum visione iudicant impossibilem: quia inquit potuit Christus honestissimè habere piam affectionem credendi, & obediendi fidei absolutam ex parte actus: conditionatam vero ex parte obiecti, si nimirum occasio ipsi, & oportunitas daretur credendi. Hoc autem argumentum æquè probat in Angelis dari habitum per se in suos castitatis, & abstinentiæ, seu temperantiæ in cibo, & potu, ut bene arguit Lugo

CERTAMEN II.

De habitibus virtutum moralium humanitatis Christi.

1 Dico primo: nullus habitus propriæ virtutis moralis/supernaturalis fuit in humanitate. Est conclusio Loræ male ut vidimus ab illo probata, & contra Soar. Valq. Vvadingo, Lugo, & Bernal. Ratio fit, quam contra actus virtutum moralium supernaturales efformabamus num. 1. cert. 1. quia neque habitus neque actus supernaturalis potest dari circa obiectum formale, siue ob motuum purè naturale: at obiecta formalia, siue motiua purè moralium virtutum purè naturalia sunt: ergo nequit dari habitus supernaturalis virtutum purè, ac propriè moralium. Secundo probatur, quia habitus supernaturales non sunt assignabiles, nisi ad actus sup. atqui actus omnes virtutum verè, ac propriè moralium, naturales sunt non supernaturales: ergo non sunt assignabiles habitus sup. virtutum verè, ac propriè moralium. Confirmatur: quia inde solum emuntur habitus supernaturales in potentia, quod actus supernaturales in eis deprehendantur. At dices negatio supernaturalitatis actus solum excludit necessitatem habitus supernaturalis in potentia, non autem eius possibilitatem: ergo eiusmodi habitus poterunt esse in Christo. Respondetur in principiis, siue virtutibus actiuis idem proflus esse non existentiam effectus, atque virtutis actiue impossibilitatem ad ad illum producendum iuxta dicta de causa adæquata in physicis.

2 Dico secundo: Nullus fuit in Christo habitus ex parte voluntatis naturalis adhuc virtutis moralis. Est etiam Loræ opinio contra ferè eodém. Probatio nostra prima fit: quia naturalem nullum habitum ex parte voluntatis admittimus, ut constat ex controuersa de habitibus, sed solum viuiores cogitationes & species, docetque Lugo disputatione 16. sectione 7. & disputatione 17. ergo nullus fuit in voluntate Christi. Secunda ratio: quia habitus naturalis ac non per se infusus, in quocunque stet, supponit difficultatem potentie de se ad eius virtutis actus eliciendos, at in Christi voluntate summe prompta ad cuiusvis virtutis exercitium nulla ad vllum virtutis actum poterat esse difficultas: ergo neque habitus vilis ad illam exercendam, qui essentia sua eiusmodi difficultatem supponit. Confirmatur primo: quia ideo in Deo habitus eiusmodi virtutum negamus, licet earum actus, & exercitium ipsi concedamus, quia ad nullius virtutis exercitium difficultatem ad habitus inducendos essentialiter præsuppositam habere Deus potest, cuius virtus, & voluntas de se, naturaque sua summe ad eiusmodi exercitium expedita, & prona est. Confirmatur secundo expresso testimonio Dionysij Alex. apud Hoplotheam nostri Francisci Turriani recitato disputatione 3. quæstione 4. certamine 2. numero 4. init. quod, & hic repetendum est. *Homo maioribus gratis à Deo bona voluntate eius honoratur, quando magis ei placet, & magis in studio virtutis probatur. In Christo Iesu nihil bonum specialiter est: non fuit in eo propter prudentiam studium laboris, nec propter temperantiam ciborum abstinentia, vixit, qui modum humanum superaret.*

3 Oppones primo: habitus nostra voluntatis nihil amplius sunt in nostra sententia, quam viuide quædam species, & cogitationes, honestatis, iocunditatisque, quæ virtutis exercitium comitantur, siue illæ experientia ipsa eiusmodi exercitij capentur, cum habitus acquiruntur, siue à Deo imitantur, cum per accidens infunduntur: atqui eiusmodi viuide claræ, ac perfectissimæ species, & cogitationes Christus habuit ab initio conceptionis à Deo infusus: ergo habuit Christus virtutum moralium habitus. Respondeo primum, nos, & aliquos, qui maiorem expeditionem ad operandum voluntati ex cogitationibus expressioribus solum aduenire defendimus,

negare habitus esse ex parte voluntatis communiter assertos, & de quibus in præfati pro Christi voluntate concedendis, vel negandis disputatur: quare maioris suppositum esse negandum. Respondeo secundo distinguendo maiorem eandem. Nihil amplius sunt, quam viuide illæ cogitationes, quoad directum entitatis habitus concedo maiorem, quoad formale, & essentialiter connotatum, & præsuppositum nego maiorem. Cum enim habitus essentia sua sint formæ facilitantes potentiam, & potentia, quæ nullam habent in actibus exercendis difficultatem de se, sed potius facilitatem, expeditionem, & promptitudinem de se summam implicet per aliquid superadditum, ipsique superueniens aliquatenus adhuc facilitati: implicet respectu illius entitatis, quæ respectu aliarum habitus forer, habitum formaliter esse. Hinc distinguo maiorem. Habuit Christus eiusmodi cogitationes cum difficultate suæ voluntatis de se ad virtutum moralium exercitium: nego maiorem cum summa voluntatis promptitudine, nego maiorem, & inde consequentiam.

4 Atque, ut argumenti huius deilitatem perspicias, ac simul solutionis nostræ soliditatem animaduerte humanam voluntatem Christi ex vnione hypostatica voluntatis ad Deitatem determinatam ad bonum quoad speciem permanisse (quod ipsum est esse antecedenter impeccabilem, ex controu. 4. d. 5. q. 2.) ita quantumuis minima cogitatione honestatis operis præcepti, & malitiæ oppositæ, ac vehementissima incunditatis in transgressione futuræ non posset non adhuc antecedenter præceptum transgredi, & idem est de operibus consilij diuini formaliter, ad quæ prædeterminatam humanitatem Christi vi vnionis fuisse docuimus de eadem q. 5. cert. 1. num. 4. Ad eum igitur modum, licet ad reliqua opera, & exercitia virtutum moralium, nec præcepti nec consilij diuini antecedenter voluntas Christi determinata non fuerit, ita tamen Deitatis participatione physica per vnionem ad totius honestatis exercitium expedita reddita fuit, ut licet cogitationes illæ viuide abessent aqua promptitudine per hebetiores, & languidiores cogitationes se se in virtutibus exerceret. Non secus ac Deus natura, & essentia sua, ita ad honestum quoduis exercendum promptus, atque expeditus censendus est, ut ad id perfectione suæ scientiæ opus non habeat, sed satis ad id haberet infinitè imperfectiori, si hæc, & non infinitè perfectæ illa, ac necessario sua ipsi adesset.

5 Oppones secundo difficultatem, & horrorem mortis, & passionis suæ, etiam præceptæ, apud hortum Gethsemani ab Euangelistis memoratum verumque timorem ipsius à nobis assertum: ergo his horror, & difficultas habitus potius auferri. Plus probat obiectio quam intendat, nempe Christum in Dei præceptis exequendis minus, quam par esset, aliquando promptitudinis habuisse. Deinde in adulta etiam, ac virili ætate, & difficultatem habuisse, & habitum ad eam abeundam ipsi à Deo infusum per accidens, vel ab ipso acquisitum esse. Contra Dionysij Alex. proximè recitatum, & Patres reliquos: imo contra aduersarios etiam, quorum nemo habitus ab eis assertos in voluntate humana Christi adulta ætate inditos ipsi ait, sed cunctos à conceptione ipsa infusus fuisse omnes aiunt. At tamen nihil certè probat oppositio: horror quippè ille cædium, & quæ fuit voluntatis humanæ Christi in obeunda morte iusta difficultas, et si ficta non fuit, fuit tamen affectata: à Christi enim consilio, ac deliberata voluntate prouenit: qua ut amplius pareretur, ac nobis passionis suæ acerbitatem commendaret, lætiores cogitationes omnino abiecit, tristioribus vero habenas laxauit: quare statim atque, vltimè se cum cogitationibus gereret, Angeli rogatu, & precibus obtentum, ab eo fuit, hilaris hostibus obuiauit, ac se passioni mortique commisit, ac insuper timuit, quia voluit, fuitque timor ille, ac si qua difficultas proximè voluntaria, ac libera, ut docebamur ex Patribus pluribus d. 2. q. 3. cert. 1. non ex natura voluntatis.



QVÆSTIO III.

De donis gratisque gratis datis Spiritus S.
Christi humanitati collatis.



PIRITVS sancti dona sunt septem, vt pueri è Cathéchismo quoridie recitare solent, gratiæ vero gratis datæ nouem vulgò numerantur. De donis igitur primo: Secundò de gratis datis singulatim etiam statuedum nobis erit.

CERTAMEN I.

Habuit Christi humanitas septem Spiritus sancti dona.

I **C**onclusio præfixa de fide est: vt petè expressa Isai. c. 11. Ibi enim septem hæc Spiritus S. dona singulatim numerata, à Propheta futura in Christo prædicuntur his verbis: *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis; Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Probatur insuper ratione, quia omnia hæc, & singula dona gratiæ, & perfectiones sunt, nullam imperfectionem; aut indecentiam cum dignitate, aut muneribus humanitatis Christi pugnantem continentes; ergo fuerunt ea omnia; singula dona in Christi humanitate. Consequentia est legitima, sæpeque in simili à nobis probata. Minor probatur sola eorum donorum explicatione, & quidem è septem his donis quatuor ad intellectum pertinent, tria vero ad voluntatem: quæ ad intellectum hæc sunt *Spiritus sapientiæ, Spiritus scientiæ, Spiritus intellectus, Spiritus Concilij*; quæ vero ad voluntatem *Spiritus fortitudinis, Spiritus pietatis, Spiritus timoris Dei.* Et quidem de dono timoris Dei propriè accepto maius aliquid difficultatis apparet, vt decenter in Christi humanitate fuerit: quare de eo separatim, nec adeo breuiter probanda erit minor; de sex vero reliquis donis facile probatur.

2 Etenim dona hæc generatim loquendo vehemèntiores quidam Spiritus S. impulsus ad extraordinaria quædam virtutum opera, ad quæ licet liberè, ac meritorie iusti ea operentur, agi potius quam agere merito videantur. *Spiritus sapientiæ*, conuenientias, & dignitatem mysteriorum diuinorum, vt credantur per altissimas causas, & æternas eorum rationes assequitur. *Spiritus scientiæ* eadem per minus eleuatas causas, ordinariis tamen, & frequentibus superiores agnoscit. *Spiritus intellectus*; eadem ex profunda, atque extraordinaria Scripturarum intelligentia illustrat. *Spiritus consilij*; extraordinario Dei instinctu statuit, quid hic, & nunc agere oporteat, agendumque sit. *Spiritus fortitudinis*; ex peculiari etiam Dei motione grauissima pericula despicit, impauideque aggreditur. Duorum horum donorum Spiritus S. extremorum, nempe *Spiritus consilij*, & *Spiritus fortitudinis*, sancta Apollonia illustrat, ac mirandum Ecclesiæ exemplum fuit: iudicans Dei instinctu gratum ipsi fore se tortorum crudelitatem præoccupando inseparatum rogum vitro conuicere, totique minacibus flammis contemptis ex eo consilio, & Dei peculiari, & extraordinaria motione fortitudinis Spiritu se in illum copiectans. *Spiritus pietatis* ad singularia, & extraordinaria reuerentiæ, & cultus Dei opera, & parentum ob Deum impellit.

3 Ex hac igitur breui horum sex donorum Spiritu S. dilucidique explicatione vulgari facile constat; Primo, nullam in eis imperfectionem humanitate Christi in-

dignam, quare neque indecentiam vllam Christi conuenienter, quod solum minor discursus facti, vt dona hæc in Christo fuisse conuincerentur, probanda conueniebant. Constat secundo vltior conclusionis notitia quoad sex dona ista ex scriptura probatio. Sæpe enim diuina mysteria conuenientissima Dei bonitati per altissimas rationes, & causas monstrabat, nonnumquam per paulo inferiores, audientibus tamen tunc accommodatioribus: frequenter ex profunda scripturarum intelligentia, & penetratione illustrat: tum cum Pharisæis disputans, tum discipulos duos Emaus euntes conuincens, tum alias, ac denique dum omnibus sensum Scripturarum aperuit. Spiritus concilij, & fortitudinis in hunc emicuit dum hostibus passioni, & mori vltione occurrat; in templo insuper dum mensis cathedrisque eorum subuersis, flagellis male acceptos eo cunctis negotiatores: quo in loco, atque in crucis sacrificio Spiritus pietatis suum mirificis exemplis demonstrat, cum vltione in Dei obsequium, & sacrificium profudit, ac discipulum Matrem, suumque Patri Spiritum commendauit.

CERTAMEN II.

De dono Timoris.

I **D**e dono timoris Dei in Christo fuisse definitum est contra Abailardum ab Innocentio 11. inter omnes enim Abailardi articulos ad se à Bernardo, & alijs Episcopis missos, atque damnatos testatur ipse apud Bernardum epist. 194. alterum huiusmodi esse: *Non fuisse in Christo timorem casum*; quem errorem referunt etiam Sanderus 7. de visibili Monarch. heresi 146. Alphonsus de Castro aduers. hæres. verbo *Christus heresi 9.* Sed tamen veritas hæc difficultatem patitur non exiguam. Etenim timor est fuga imminenti mali, v. g. peccati filialis quidem ob Dei reuerentiam nec eo Parenti Deo displiceamus, feruilius vero ne à Deo ob illud puniamur: vtique autem humanitati Christi etiam antecederet impeccabili videret impossibile quo enim pacto imminenti Deo displicentiam, vel supplicium timeret humanitas ob peccatum, quod sibi humanitas ipsa indicabat certo esse impossibile, si vt ita de illo, sine ob illud displicentiam Dei, siue supplicio timeret, non solum possibile sibi, sed imminens etiam peccatum estimare deberet? S. Th. q. 7. a. 6. Vafq. Soar. reliquique interpretes ob propterea docent timorem Christi qua hominis non fuisse propriè Dei timorem ob peccatum quod nullatenus sibi possibile, nedum futurum, & imminens potest cogitare, sed impropriè solum Dei timorem extitisse: quatenus solum dicit fugam, & auersionem voluntatis à peccato ob Dei reuerentiam, quo pacto iusti, ac religiosi Dei cultores, Deum timentes, ac timorati dicuntur psalm. 21. n. 24. psalm. 118. n. 79. Ionaz 1. n. 9. Lucæ 2. n. 34. de Simone.

2 Sed obiicit Bernal. frustra definiendum ab Innocentio contra Abailardum timorem Dei in humanitate Christi in sensu, in quo neque ab Abailardo, neque ab vllò nisi amentissimo homine negari poterat. Sed parum viget. Nam errores non nisi à vesanis, & amentissimis hominibus asseruntur. De factò autem Abailardum non negasse timorem in eo sensu nullatenus ostendit Bernal. nisi ex impossibilitate negandi in eo sensu, quam non probabit vnquam. Est siquidem negatio timoris Dei in eo sensu assertu possibilis ab humana ignorantia. Melius sanè eiusmodi doct. inam impugno: quia à danti timorem Dei proprium eum solum esse, quo peccatum fugimus imminens ob imminenti Deo displicentiam, imminenti ob peccatum, ac proinde eiusmodi timorem Dei in humanitate Christi esse minime potuisse, restat de factò fuisse, vt hi DD. admittunt, Abailardus negasse timorem Dei in humanitate Christi in sensu proprio verè, ac rectè negabat: quare damnari ab Innocentio eius negatiua propositio absolute non poterat, atque opposita

opposita absolute definiri nulla quippe propositio absolute vera in sensu proprio damari absolute potest, eiusque opposita absolute definiri, eo quod hæc in sensu improprio vera sit, illa vero in sensu improprio falsa: quin errandi occasio aperta Ecclesiæ præbeatur.

3 Sed responderi potest ex Vasq. d. 44. c. 2. num. 5. S. *Vera igitur sententia.* Affectum reuerentia circa maiestatem Dei potentem mala infligere, vocari etiam timorem reuerentialem. Est quippe quædam retractio creaturæ ad se ipsam præ admiratione immensæ maiestatis diuinæ quam dubio procul habuit humanitas Christi, fuitque timor castus, seu reuerentialis, quem negabat Abailardus. Quod autem affectus iste sit ex dono timoris docent S. Th. q. 7. art. 6. ad 1. & 2. q. 19. a. 11. atque comment. in id psalm. 18. *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.* Magist. in 3. d. 34. cap. vlt. vbi S. Bonau. a. 2. q. 3. Gabr. q. vnic. art. 3. dub. 2. interpretes S. Thom. ad citatum articulum 6. Alex. p. 2. q. 118. m. 3. art. 6. & q. 175. m. 1. atque hoc sensu admittitur in Angelis ac Beatis à Dyonyf. 12. de celesti Hierarch. post med. à Gregor. 17. moral. c. 15. ad 1. Job 26. *Columnæ cali contremiscent.* Eoque sensu, timor Domini sanctus æternum in Beatis dicitur duraturus datis verbis ex psalm. 18. & Matth. 9. miraculi à Christo patrati spectatores dicuntur. *Videntes autem timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Duos igitur actus proprios doni timoris assignat Vasq. ex S. Th. & Doctoribus citatis cum num. 6. tum num. 8. alterum reuerentia maiestatis Dei potentis mala infligere, quem, & religionis, & humilitatis etiam esse posse cum Alexandro ait; alterum fugæ mali, siue culpæ, siue pænæ, aut physici damni à Deo infligendi, & hunc respectu culpæ neque in Beatis, neque in Christo esse posse ait, ob rationem dubitandi, nec de huius negatione damnari Abailardum, sed de negatione actus primisquem etiam à Durando negatum sentit.

4 Censeo cum Vasq. quoad censuræ, & damnationis materiam contra Abailardum. Sed tamen adhuc contendendo respectu mali culpæ, & pænæ à Deo possibili fuisse actum timoris, & fugæ, nec solum illum primarium reuerentia hæcens explicatum. Primò: quia, vt doctè obseruat noster Vuadingo d. 5. dub. 4. num. 27. versu. *Disput. primo.* De essentia timoris quatenus fuga mali est non est anxietas, & horror imminentiæ mali, licet frequenter in nobis ex eiusmodi imminentiæ excitetur in appetitu sensitiuo, & inde per sympathiam in voluntate. Sed solum est auersio mali culpæ ob reuerentiam excellentiæ diuinæ, & supremum dominium, & potestatem Dei ad inferendum mala creaturis ob culpam: licet nec culpa, nec pœna futura iudicentur. Sed dices timorem contrarium esse spei, quæ non est nisi de bono futuro. Verum non ita requirit futuritionem mali cognitam, sicut spes boni futuritionem. Timemus enim malum conditionatè solum futurum, & quod ne futurum quidem cognoscimus, sed dubitanter solum, præcipuè si malum magnū sit. Pulchrè ad rem hanc Seneca. *Fulmina,* inquit, *paucorum periculo cadunt omnium metu.* Non enim quid fecerit sed quid facturus sit cogitatur in eo qui omnia potest. Vbi è sola potestatis, & arbitrij supremi Dei, vt in nos fulminet, id enim significat. *Quid facturus sit qui omnia potest.* Timorem, ac metum in nobis concipi docet. Suadent exempla quotidiana filius, qui durè flagellantem mancipium videt, quin ipsi imminet flagellum propriè Patrem timet. Ad quem modum iustos, ac sanctos ex duro Dei iudicio postremo aduersum sceleratos, quod sibi non imminere scient, timore concutiendos Patres aiunt.

5 Denique licet non nisi malum imminens, atque, vt tale cogitum mouere ad timorem possit, timoris actus de peccatis, & malis physicis concedi in Christo debet: tum quia offensas hominum contra Deum quem tam ardentè amabat ex Dei Charitate cum certo futuram cognosceret timebat: nec non ex sui ipsius concupiscentia, cum amor Dei offensas illas proprias ipsi, qua homini etiam fecisset, quare, & vt suas timebat. Secundo: quia cum omnium hominum caput esset mala culpæ membris imminentiæ sua etiam iure reputabat, si bique mo-

raliter imminentiæ timebat. Tertio quia sua etiam titulo Charitatis ad dolorem effecerat. Quarto: quia sua etiam ad satisfactionem numerabat. Quinto quia, vt aliorum erant ex Charitate timebat, sicut, & aliorum bona, & salutem, vt aliorum quant, ex charitate, & beneuolentia sperabat, vt contra Vasq. & affectus docebamus q. 1. & sanè ex hoc peccatorum alienorum timore actuali, siue ex charitate, siue ex concupiscentia, siue ex vtraque concepto, vsque ad sanguinis decurrentis profluuium ab Euangelistis narratum timuisse, atque exhorruisse humanitatem Christi in horto auctores sunt Patres plures, quos de eo timore agentes memorauimus. A Grandem de malis penè physicis etiam timuisse ad rædium, & pauiorem vsque vidimus ibidem. Ea vero mala quatenus peccatorum, pro quibus satisfaciebat, pœna erant timore reuerentialem, qui doni timoris casti Dei actus esse apertè timuit: erant quippe eiusmodi mala affectus displicentiæ Dei de peccatis, atque indignabundæ, vt sic loquar, & iratæ maiestatis Dei.

6 An vero quatenus mala physica, atque Dei physica potentia manabant affectu timoris, Dei dono, Christi humanitas illa fuerit auersata difficilis examinata est. Etenim sub ea consideratione, quatenus à Dei potentia, & beneplacito diuino erant auersari Christi voluntas non poterat, sed profecti potius, & optare, vt de facto prosequuta, atque amplexata fuit: quatenus vero mala physica, & creata fuere ex naturali affectu concupiscentiæ, licet deliberato, & honesto, vt diximus, ea Christus pertimuisse videtur: ergo illa secundum eam considerationem non timuit ex dono timoris. Nihilominus censeo ea etiam ex dono timoris Dei, & casto pertimuisse Christi humanitatem: licet enim mala physica creata ex naturali concupiscentia, ac non ex dono timoris secundum se sumpta timeamus; ast Christus non ea sub hac solum consideratione pertimuit, sed quatenus Dei potentem maiestatem concernebant, quam simul reuerebatur eodem actu, qui fuga mali, & reuerentia diuinæ maiestatis infligentis simul erat. Vterque autem respectus siue affectus proprius est doni timoris Dei, vt bene obseruauit S. Th. Alexander, & Vasq. ex quo vero habitu eiusmodi actus promanant, an ex speciali doni timoris dubitari hic poterat. Censeo cum Alexandro illam retractionem voluntatis creatæ ad se consideratione diuinæ maiestatis, & potentia humilitatis, ac religionis affectum esse: Fugam vero mali, siue culpæ, siue pænæ cum respectu ad Dei displicentiæ de peccato esse Charitatis, quando ex Dei, vel proximorum complacencia sunt: quatenus vero concernit malum physicum Dei potentiam quam simul reueremur esse religionis, vel humilitatis: quare ex nullo speciali habitu timoris procedere nisi quando prouenit ex charitate, sed ex religione humilitate, vel similibus esse, vt bene Vasq. supra num. 7. & Alexander. Cum autem nos habitus pro naturalibus purè virtutibus non agnoscamus ad timoris affectus naturales nullum doni timoris habitum recognoscimus.

CERTAMEN III.

De gratis gratis datis humanitatis Christi.

1 **G**ratias Spiritus S. quas gratis datas vocamus no-
tam esse diximus in quæstionis explicatione. Omnes autem ad aliorum utilitatem tendunt, atque 1. Corinth. 12. enumerantur, pleraque earum sunt donorum Spiritus Sancti, quasi effectus, vt ex eorum explicatione constabit. Primo loco recensentur ab Apostolo, *Sermo Sapientia.* id est facilitas ad explicanda mysteria, & veritates fidei per causas altissimas, & superiores conuenientias. *Sermo scientia.* facilitas ad eadem per inferiores rationes audientium captui accommodatas explicanda. *Fides,* id est vel fiducia necessaria ad miracula patrandi iuxta Chrysof. vel animofitas impauida ad fidem prædicandam

prædicandam iuxta Ambros. vel eximia rerum fidei penetratio ipsius promulgatori necessaria ut volunt alij: *Gratia sanctorum*, id est donum sanandi ægros. *Operatio virtutum*, id est donum patranda miracula alia. *Genera linguarum*; id est donum loquenti pluribus variisque linguis. *Interpretatio sermonum*, nempe donum interpretandi sacras Scripturas. *Discretio spirituum*; id est, donum discernendi, & iudicandi aliorum spiritus, siue motiones internas. Ac demum *Prophetia*, id est: donum absentis tempore, vel duratione, atque recondita quæque manifestandi. De hac gratia fecimus agemus. De octo vero præcedentibus fuisse in anima Christi constat, quia sunt perfectiones, & gratiæ humanitatem Christi, eiusque munera imprimis docentes, ut patet, quare illi sunt concedendæ, ut sæpè arguebamus in aliis.

2. Probatur secundo ex Euangelio, ex quo aperte eorum omnium gratiarum usus in Christi humanitate elucet. Equæ enim Euangelij pars est, in qua mysteria fidei per altissimas causas, ac per rationes audientium captui accommodatioris, licet inferiores, Christus non explicuerit. Recolite Christi parabolas, quid de eius fiducia, impaudaque animo sitate in prædicando, atque docendo, ac rerum fidei penetratione dicam? Cum horum omnium passim in Euangelio illustrissima ipsius exempla occurrant. Quid de gratia sanctorum, quam tot deploratæ salutis ægri sanitati ab illo restituti prædicauerunt? Quid de operatione virtutum, siue gratia parrandi omnigena miracula, quam demones vel inuiti, sæpè confessi sunt, fuereque elementa omnia testata? nisi quod Ioannes c. vltimo sui Euangelij scripsit: totum nimirum orbem eis singulatim referendis carthâ fore perexiguam. de generibus linguarum earumque usu nihil est firmum ex Euangelio. Solum autem est certum eiusmodi gratiam habuisse cum eam discipulis suis fuerit impertitus, æqueque fuerit humanitatem ipsius decens, atque gratiæ reliquæ, licet non necessaria, quia Iudæis solum prædicauit: quanquam dubitandum minime sit pro diuersitate Prouinciarum Iudææ, in quibus prædicauit nonnullam esse linguarum diuersitatem, atque in vnaquaque iuxta eius proprietatem prædicasse. Item cum gentilibus alloqueretur, aut scriberet, ut ad Regem Abagarum eorum lingua, & characteribus usum esse. De excellentia interpretationis obuia sunt Christi cum discipulis, & Scribis, ac Phariseis, vel disputantis, vel loquentis testimonia perampla: sicut, & de Spirituum discretione.

3. Prophetiam Abulenſis in 11. numer. quæstione sexagesima-quarta humanitatem Christi denegauit absolute. Primo: quia Deus Prophetæ non est: & homo Christus est Deus: futilis ratio Deus substantiæ de se Prophetæ non est: aut Deus adiectiue sumptus per communicationem idiomatum Prophetæ dici potest, sicut plura alia quæ ipsi secundum se repugnant. Secundo: quia Ioannes plusquam Prophetæ dictus à Christo fuit gratia pro-

phetiæ: ergo citius neganda est Christo, quia homini Ioanni longè excellentiori. Respondetur non negari Ioanni à Christo Prophetiam, sed eius in ea præcærit Prophetis, qui Christum non viderunt excellentiam clarari; quare prophetia Christo homini longè excellentior concedenda erit. Tertio: quia obscuritas cognationis quæ Christi humanitatem dedecet, est de ratione prophetiæ, quæ eius obscuritatis defectu non est in Beatis, quos obscura rerum cognitio non decet. Negatur facile antecedens. Beatis autem prophetia non adesse quidem defectu obscuritatis eius, sed status vix, qui Christo non defuit, estque ad prophetiam necessariis requisitis.

4. Idcirco Doctores reliqui prophetiæ donum Christo qua homini concedunt, atque Abulenſis sententiam temeritatis merito notant. Probatur communis conclusio ex Euangelio in quo extant exempla plurima, quibus futura Christus, qua homo, prædixit, abscondita, & occulta aperuit, secreta cordium propalauit: ob quæ frequenter Prophetæ nominatus est ab Hebræis Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis*: à Cananæa Ioan. 4. *Domine, serua me*: à Discipulis Luc. 24. *De Iesu Nazareno, qui vir fuit Prophetæ: à se ipso Lucæ 4. Non est Prophetæ in honore nisi in Patria sua: Lucæ 13. Non capiti Prophetæ ire, nisi in Hierusalem.* Denique, & ab Spiritu sancto, si fuerat multis retro sæculis compellatus, Deuterio, decimo octauo, *Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris: tanquam me ipsum audistis.* Quæ verba in hec improprio prolata intelligi à sano Theologo nequeunt. Idcirco August. tract. 15. in Ioann. ad verba data in Ioann. 4. ac 6. contra Faustum c. 18. Ambros. in psalm. 118. ad ea verba: *Particeps ego sum.* Cyrill. Alex. 8. contra Iulianum. S. Isidorus 7. originum, c. De Filio Dei. Hieron. in id Hierem. 1. *Prophetam de ingentibus dedite, Christum qua hominem Prophetam fuisse docent.*

5. Disputant hic nonnulli de gratia auxiliante, an in Christo qua homine, fuerit? Negant lexiciantem nonnulli: alij vero adiuantem, & cooperantem in illa: quia visio Clara Dei, ex eaque ortus amor ignis in Christo fuere ad quamcumque virtutem exercendam: præcipue cum ad sit pro obiectis aliarum virtutum à Charitate proponendis scientiæ per se, & per accidens infusa animæ Christi Domini. Sed nescio, quid omnino hæc cognitionibus, ut gratiæ auxiliantes, & sint, & nominentur, deficiat: atque, ut voluntatis Christi liberam, & honestam operationem præueniunt excitantes, vel ad opera virtutum sollicitant, adiuuantes, ac tandem, ut cum voluntate suo modo operantur, cooperantes formaliter sint, ac propriissime compelluntur, sine obiecto negantes quid aliud sanctæ aliæ cogitationes habeant, vnde formaliter, & rigidè sic dicantur: sed de hoc tantum quod solum quæstionibus de nomine, quos odis pessime locum facere potest.